De
3546
(3)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-38500/fragment/page=00000001

Act 615
1500

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-38500/fragment/page=00000002

ANALECTA ARABICA

EDIDIT

LATINE VERTIT ET NOTIS ILLVSTRAVIT

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLER

THEOL. D. LITT. OO. IN UNIVERS. LIPS. P. P. O.

PARS TERTIA.

LIPSIAE

SVMTIBVS IO. AMBROS. BARTHII,

MDCCCXXVIII.

SYRIA

DESCRIPTA A

SCHERIFO EL-EDRISIO

ET

KHALIL BEN-SCHAHIN DHAHERI.

E CODICIBVS BODLEIANIS

ARABICE EDIDIT,

LATINE VERTIT ET NOTIS ILLVSTRAVIT

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLER

THEOL. D. LITT. OO. IN UNIVERS. LIPS. P. P. O.

BIBL.
SOC. ORIEN.
GERM.

LIPSIAE

SVMTIBVS IO. AMBROS. BARTHII,

MDCCCXXVIII.

15

LECTORI

S.

Quod anno MDXCII. Romae e typographia Medicea Arabice est editum opus Geographicum, ab Edrisio medio seculo XII. nostrae aerae conscriptum, *Geographiae Nubiensis* nomine celebratum, et a Gabriele Sionita Latine translatum, compendium tantum esse majoris operis, quod nondum editum adhuc in bibliothecis latet, et in ipsius libri typis excusi limine verbis haud obscuris dicitnr, et argumentis perspicuis docuit qui de Edrisii opere optime meritus est Jo. Melch. Hartmannus [1]). Integri operis Edrisiani codices duos manuscriptos asservari in bibliotheca Bodleiana, quae Oxonii est, quorum alter, numero 884 signatus, charactere Africano est exaratus, alter, numero 887, anno

1) In Commentatione *de Edrisio ejusque Geographia universali*, quae est praemissa *Edrisii Africae* ab ipso curatae, edit. seq. Gotting. 1796.

Hegirae 906 (Chr. 1500.) scriptus est, dudum innotuit indicio Joa. Vrii [2]). Codicis 887 specimen, quod ad Africae descriptionem pertinet, a Schnurrero sibi communicatum typis describi curavit Hartmannus in Commentatione de Edrisio ejusque Geographia. Mihi vero ea potissimum integri operis Edrisiani parte, quae in describenda Syria versatur, potiundi cupidine mire accenso contigit esse tam felici, ut Vir Summe Reverendus Wyndham Knatchbull, Linguae Arabicae apud Oxonienses Professor meritissimus, cui Harethi Moallacah e codice manuscripto primum editum, Latine translatum et Notis doctissimis illustratum [3]) debemus, mei me voti humanissime compotem faceret. Exhibuit enim ille mihi non solum quae in codice Oxoniensi numero 887 signato aliter ac in libro edito scripta leguntur, verum et ea loca, quae in libro Romano ab eo qui Edrisii opus in compendium redegit, omissa sunt, et haud raro integras paginas complent, ex ipso codice in papyro oleo tincto illique imposito plumbeo stylo summa cura depicta (*Fac-simile* vocant) benevole mihi transmisit. Est vero iste codex lectu satis difficilis, quippe charactere pessimo exaratus, et punctis literarum diacriticis saepe destitutus, unde si quae

---

2) In *Bibliothecae Bodleianae Codicc. Manuscriptor. Oriental. Catalogo* P. I. Oxon. 1786. fol. p. 192.

3) Oxon. 1820. in quat.

nomina locorum haud aliunde cognitorum in particula a nobis edita mendose expressa reperiantur, lectores id nolint nostrae incuriae tribuere.

Edrisianae Syriae descriptioni junxi aliam, e Khalilii Ben-Schahin Dhaheri opere politico-geographico, medio seculo XV. nostrae aerae condito, excerptam. Quam ut cum orbe erudito communicare possemus, effecit ejusdem Viri Doctissimi humanitas, cui Edrisii Syriam, hic editam, acceptam referimus. Illi enim quum significassem, cupere me eam Syriae descriptionem, cujus epitomen a Venturio sibi communicatam e Khalilii opere sermone Gallico dedit Volneius in suorum Itinerum commentariis [4]), Arabice integrum legere, ille pro sua erga me benevolentia meo voto promtissime annuit, et eam, quae de Syria agit operis Arabici partem e Bibliothecae Bodleianae codice 753. sua manu descriptam mihi transmisit; pro quo novo, quo me sibi devinxit Vir Optimus beneficio, ei hic publice debitas laudes gratesque ago. Khalilii opus accurate descripsit qui illud Gallice translatum edere in animo habuit, VENTURE, in Volneii libro, quem laudavimus [5]). Post illum de Khalilio ejusque opere dis-

4) *Voyage en Syrie et en Egypte* Vol. I. p. 284. seqq.; cf. p. 92. nott. edidit. quartae.

5) Vol. I. p. 247. seqq.

seruit SILV. DE SACY [6]), qui in Chrestomathia Arabica ex illo descriptionem Aegypti et capita quaedam alia edidit. Uterque liber quum in manibus versetur omnium, qui nostras literas amant et in pretio habent, nos de Khalilii opere referre commode supersedere possumus.

Dabam Lipsiae d. XV. April. MDCCCXXVII.

---

6) *Chrestom. Arabe* T. II. p. 11. edit. sec.

EMENDANDA.

In textu Arabico.

Pag. 6. Lin. 5. pro بالراوية lege بالراوية Pag. ead. Lin. ult. pro رميه lege رمية Pag. 12. Lin. 16. pro حونية lege جونية Pag. 13. Lin. 9. pro ساحيل lege ساجيل Pag. 15. Lin. 8. pro صفيم lege صغيم Pag. 27. Lin. 12. pro ثمّ lege تمّ

In Versione Latina.

Pag. 24. Not. lin. 2. pro: e recepta lege: recepta e

DESCRIPTIO

SYRIAE

EX

EDRISII

LIBRO QUI INSCRIBITUR

OBLECTAMENTUM CURIOSI.

Palaestinae [1]), quae est primus [2]) tractuum Syriae [3]), fines Pag. 2
ad occidentem protenduntur quatuor dierum spatio a Ra-

1) In libro edito prima verba hunc in modum leguntur: واما حدود فلسطين . . . . . وحدودها. Sed حدود, ut supervacaneum, sensum turbat, et اما post se requirit ف; itaque omisso حدود posuimus فحدودها.

2) Pro اول Ms. habet اقلّ *minimus* tractuum Syriae. Quod veritati adversatur. ABULFEDA *Tab. Syr.* p. 7. Palaestinam vocat كورة كبيرة *regionem magnam*, اول tuetur et IBN-OL-VARDI p. 177. ed. Koehler. et p. 86. ed. Hylander. *Primus* Syriae tractus vero est Palaestina ab austro. Quo jure Ibn-al-Vardi Palaestinam primam Syriae praefecturarum من الغرب *ab occidente* (quomodo in utraque edit. legitur) dicat, me non assequi fateor.

3) Loco احواز apud Ibn-ol-Vardi p. 177. ed. Koehl. est احرام, pro quo Reiskius in not. اجزام, sive, ut est in Addendis et Corrigendis, اجزاء

fach[4]) usque ad al-Ladschun[5]). Latitudo vero a Jafa[6]) ad

---

partium, legendum conjecit. „Sed nescio," inquit KOEHLERUS loco posteriore, „sitne lectio nostra, quam utrique codices probant, sana. احرام Golio sunt *loca sacra*, et *quae quis protegit*. Forsan احرام significatione paullo latiore responderit τῷ اجناد, qnae proprie sunt *urbes praesidio tectae*, post in universum *provinciae* ac *regiones*." Sane apud Abulfedam (p. 8.) legitur ex Ibn Chaukal: فلسطين اول اجناد الشام. In Ibn-el-Vardi ex edit. Hylandri legitur: فاما فلسطين فهى فى اول احراز الشام, quae Vir Doctissimus sic vertit: *Ad Felestin quod attinet est prima* ex *oris Syriae munitis*. Sensu parum apto. In codice quodam Arabico bibliothecae Illustr. Senatus Lips., qui inter plura miscella et Descriptionem Syriae ex Ibn-el-Vardii Opere excerptam continet, legitur اجواز, mendo manifesto pro احواز quod omnino retinendum. Est Pluralis nominis حوز, quod significatu convenire cum حَوْزَة *tractus latus* haud dubito. In *Abi Abdollae Ben Alkhatib* Annalibus regum Hispaniae et Africae, ex quibus excerpta dedit CASIRI in *Biblioth. Arab. Hisp.* T. II. p. 177 seqq. legitur p. 183. (a), كانت به الوقيعة على نهر لد من احواز شريش *commissum est cum eo proelium ad amnem Lede, e tractibus*, i. e. in regione urbis *Xerez*. Prorsus inepte Gabriel Sionita Edrisii verba reddidit: *At fines Palaestinae sunt principium territorii Damasceni*. Nomen شام haud raro de Damasco, Syriae metropoli, usurpari constat, sed h. l. esse nomen regionis res ipsa ostendit.

4) Est STRABONIS (L. XVI. Cap. 2. §. 31.) Ῥαφία, in tractu maritimo, Gazam inter et Rhinocoluram, quem locum plures veterum australem Syriae terminum fecerunt; vid. CELLARII *Notit. Orb. antiq.* Vol. II. Cap. 13. §. 230. et RELANDI *Palaest.* p. 46. 967.

5) Veterum *Legio*, sita XV. milliaribus Romanis a Nazareth versus occidentem; vid. Relandum p. 873. Vix dubium, esse pagum quem Maundrell (vid. PAULUS *Samml. von Reisen* P. I. p. 75.) *Legune* vocat, in planitie situm, quae veteribus *campus Legionis* dicta; vid. Relandum, p. 359. 366. Eosdem longitudinis Palaestinae terminos ponunt Abulfeda p. 8. et Ibn-el-Vardi p. 177. ed. Koehler.

6) Hebraeis יָפוֹ Jos. XIX, 46. Jon. I, 3. 2 Chron. II, 16. Graecis Ἰοππη et Ἰοπη (vid. Reland. p. 864.), hodie *Jaffa*, portus celebris. Cf.

Richa [7]) est bidui *). Sedes Lotitharum una cum mari foetido [i. e. mortuo] usque ad Baisan [8]) et Tiberiadem vocantur el-Ghaur, quia planities est inter duos montes [9]). Omnes autem aquae e Damascena Syria delabentes et in unum confluentes efficiunt fluvium Zakhar [i. e. Jordanem] [10]). Ejus initium est a lacu Tiberiadis, prope ipsam Tiberiadem, omnesque fluvii in eum influunt, veluti fluvius Jarmuc [11]), et Chadd, et flumina Baisan, tum quicquid effluit e tractibus Mat [12]) et montibus Hierosolymae, monteque

---

Abulfeda p. 80. Multa de hac urbe habet Pococke *Descript. Orient.* P. II. p. 4. seqq. vers. teuton.

7) Hebraeis יְרֵחוֹ Num. XXII, 1. et יְרִיחוֹ Jos. II, 1. 2. 3., atque יְרִיחֹה I Reg. XVI, 34. Straboni L. XVI, Cap. 2. §. 41. Ἰερικοῦς.

*) Post يومين in Ms. sequuntur haec: وزعرا ودیار قوم لوط والبحيرة المنتنة وجبال الشراة مصمومة اليها وهي منها في العمل الى حد ايله.

8) Est veterum Hebraeorum בֵּית - שָׁאָן s. בֵּית - שָׁן. Vid. Relandi *Palaest.* p. 992. A. Schultensii *Indic. Geograph. ad Vitam Saladini* s. v. *Baisana*, Abilfedae *Tab. Syr.* p. 84., et librum nostr. *Handbuch der bibl. Alterthumskunde* Vol. II. P. II. p.

9) Plura de hac planitie diximus in libro *Handbuch der bibl. Alterthumskunde* Vol. II. P. I. p. 145. seqq.

10) Vid. de hoc Jordanis nomine Relandi *Palaest.* p. 272.

11) Graecis Ἱερμάαξ dicitur, in mollius flexa nominis forma; vid. Reland. p. 283. Hodie *Scheriat el-Mandhur*, شريعة المنظور, vid. Burckhardt's *Travels in Syria* p. 270. s. vers. teuton. p. 426. Fluvius Chadd, quem Edrisi statim commemorat, non est aliunde notus.

12) كورمات Sionita reddidit *Kouar-mat.* Sed كُوَر vix dubium esse Pluralem fractum nominis كُورَة *regio*, *tractus*; مات vero videtur

sepulchri Abrahami[13]), et quicquid etiam defluit a Neapoli. Haec omnia enim simul concurrunt et labuntur in mare Zoghar, quod et mare Sadum et Ghamur appellatur, duarum urbium gentis Lot, quas Deus submersit, earumque locum occupat mare foetidum, quod et mortuum appellatur, quoniam nihil animatum in eo reperitur, neque pisces, neque reptilia, neque aliud quicquam ex iis quae generari solent in ceteris aquis vel stagnantibus vel manantibus. Aqua ejus est calida et male olens[14]). Sunt autem in hoc lacu parvae naves, quibus iter fit per eas partes, et commeatus variique generis fructus e Zoghara ad Jerichuntem et reliqua el-Ghauri loca*) devehuntur. Longitudo hujus lacus LX. Millia Passuum, latitudo XII. M. P. A Jerichunte ad Zogharam est bidui iter. A Zoghara ad montes Scharat[15]), et ab his ad extremitatem Scharat bidui quoque iter. A Jerichunte ad Hierosolymam statio. Ab Hierosolyma ad Amman**) et el-Belka bidui iter. A Ramla ad Caesaream statio magna. Jericho[16]) vero, cujus mentionem fecimus,

---

nomen proprium esse, sed vitiose scriptum; forsan pro حمات *thermae*, Ἀμαθά, vicus Gadarae vicinus, ubi aquae calidae. Vid. RELAND. p. 559.

13) I. e. Hhebrone, vid. ABULFEDAE *Syr.* p. 87. et RELAND. p. 709.

14) Cf. quae de hoc lacu collegimus in *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 180. seqq.

*) Verba الغور — وفنون p. 2. lin. 12. e Ms. recepi.

15) Hebraeis montana Seir, שֵׂעִיר, vid. BURCKHARDT's *Travels* p. 410. s. p. 688. seqq. vers. teut.

**) Pro غسان, quod est in edito, recepi عمان e Ms.

16) Quae jam sequuntur in textu Arabico inde a verbis واريحا المذكورة Pag. 2. lin. 16. *Jericho vero* cet. usque ad verba ويصعد ستة

est maxima el - Ghauri urbium, tum Amatha et Baisan. Frequentissima el - Ghauri plantarum est myrobalanus [17]); incolae eum balsamum [18]) vocant; accedit ad nigredinem [19]). Ex oppidis Palaestinae est el - Dschi *), parvum oppidum; ejus aqua est calida, ingrata et insalubris. Baisan est urbs Pag. 3 admodum parva in qua multae palmae. Ibidem crescit Sesamum [20]), e quo flava tinctura [21]) Sesamina conficitur. Nullo

---

امیال Pag. 4. lin. 6. *totidemque ascendit*, non exstant, in libro edito, suntque e Cod. Ms. inserta.

17) Pro العيلج non dubito legendum esse اهليلج sive هَلِيلَج e Persico هليلة *myrobalanus*, de qua planta disputavit GARCIN in Notis ad librum *Les Oiseaux et les fleurs* p. 193. seqq. Cf. HASSELQUISTI *Itinerum* suor. *in Palaestinam Commentarios*, p. 573., et AVICENNAE *Can. Medic.* p. 162. text. Arab. ed. Rom. 1593. fol. Nonnulla myrobalani arbusta prope Jerichuntem vidit MARITI *Itinerar.* p. 405. vers. teuton.

18) Alias بلسان scribitur, vid. AVICENNAE l. l. p. 140. ubi inter alia haec leguntur: قال ديسقوريدس لا تكون هذه الشجرة الا فى بلاد اليهود وهو فلسطين فقط فى غورها. Transsumta haec sunt ex hisce DIOSCORIDIS L. I. Cap. 18.: *Βάλσαμον — — γεννώμενον ἐν μόνῃ Ἰουδαίᾳ, κατά τινα αὐλῶνα.* Attamen البلسم scribitur et a Makrizio in Descriptione Aegypti, referente DE SACYO in Notis ad *Abdollatifi Memorabilia Aegypti*, Gallice ab ipso conversa, p. 89.

19) Inter quatuor myrobalani genera, quae enumerat *Zeinattar* Persa (apud GOLIUM *Lexic. Arab.* p. 180.) est etiam اسود *nigra*, parva, exossis, quae nobis Indica.

*) De hoc loco, haud procul a Wady-Musa, i. e. סֶלַע *Sela* Hebraeorum, *Petra* Graecorum et Romanorum, sito, et regione adjacente, plura refert BURCKHARDT l. l. p. 420. 433., s. p. 702. 719. vers. teuton.

20) Pro السامان et mox السامانية legendum السمسم et السمسمية.

21) حُصّ i. q. وَرْس *curcuma*, aliis *crocus*, dicit GOLIUS l. l. p. 617. Et p. 2653. haec habet: وَرْس *planta sesamo* similis, flavescens, ex qua

alio Syriae loco nisi hoc reperitur haec planta. Palaestina aquam suam e pluviis et torrentibus habet. Rarae sunt arbores, campis tamen est amoena, estque provinciarum Syriae bonorum abundantissima [22]). Duae Syriae urbes sunt Ramla et Hierosolyma. Ramla est urbs pulchra, populosa et foris instructa. Frequens ibi mercatura mercium tam quae advehuntur, quam quae exportantur [23]). Ab ea ad Jafa, ad maris litus, est dimidiae diei iter. A Ramla ad Nablus (Neapolin) diei iter. A Ramla ad Caesaream est statio magna. Neapolis est urbs Samaritanorum. In ea est puteus, quem effodit Jacobus, cui sit pax! Illi assedit Dominus Messias, cum a muliere Samaritana aquam bibendam petiit. In eo loco est jam pulchrum Christianorum templum. Hierosolymitani dicunt, existere nusquam alias, nisi in hac urbe, Samaritanos [24]). Inter extrema Palaestinae urbes prope viam, quae Aegyptum ducit, est Ghaza urbs [25]). A Palaestina [26]) ad urbem Askalon est statio magna.

---

paratur غمرة *Gomraton*, i. e. lenimenti genus ex ورس confectum, quo faciem mulieres tingunt conciliandi nitoris ergo (p. 1732.).

22) Eadem fere leguntur apud Ibn-el-Wardi p. 177. ad calcem *Abulfedae Tab. Syr.* p. 177. edit. Koehl., et p. 86. ed. Hylandr.

23) De Ramla urbe cf. Abulfedae *Tab. Syr.* p. 79. ed. Koehl. et A. Schultensii *Indic. Geograph. ad Vit. Saladini* s. v. *Ramlah.*

24) De Neapoli, Hebraeorum *Sichem*, cf. Abulfedae *Tab. Syr.* p. 85. ed. Koehl., Ibn-el-Wardi p. 178. ed. Koehl., p. 86. ed. Hyl., et Schultensii Indic. s. v. *Neapolis.*

25) Cf. Abulfed. p. 77. et Schultensii *Indic.* s. v. Gaza.

26) De *Palaestina* urbe, cujus veterum nullus mentionem fecit, vid. Koehleri not. ad Ibn-el-Vard. p. 176. not. 38. Locus ex Abulfedae *An-*

Ab Askalone et Ghaza prope viginti M. P. Ghaza urbs populo frequens nunc est in Graecorum potestate. Portum habet navium stationem. A Theman ad Askalonem sunt viginti milliaria. El-Arisch urbs habuit duo templa majora [27]). Terram ejus arena obruit. Sunt in ea ruinae et fructus praestantes; estque mari propinqua. Via a Ramla ad Mardud per terram una est statio. A Merdud ad Ghazam, cujus supra mentionem fecimus, una est statio. A Ghaza ad Rafach, quae est urbs in statu integro servata, est una statio. Inde ad el-Arisch, et hinc ad el-Varadet, quod est hospitium prope mare, est una statio. Askalon [28]) est urbs pulchra, duplici cincta muro, habetque fora. Extra eam nulli sunt horti nec intra arbores [29]). Eam anno DXLVIII. expugnavit princeps Hierosolymae cum copiis

---

nall., quem Koehlerus tantummodo e Reiskii versione laudare potuit, in textu Arabico ab Adlero edito T. I. p. 468. lin. ult. legitur: فسار اليه وهزمه على طبرية ثم اقتتلوا على فلسطين فانهزم (اهل فلسطين) *obviamque iis Palaestinitis rebellibus) ivit, fuditque eos apud Tiberiadem, tum pugnarunt ad Palaestinam, et dissipati sunt.*

27) De *El-Arisch*, Rhinocorura veterum, vid. J. D. Michaelis *Nott. ad Abulfedae Aegypt.* p. 168. not. 148., et librum nostr. *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 86. seqq.

28) De *Ascalone* cf. Abulfedae *Tab. Syr.* p. 78., Ibn-el-Vardi p. 179. ed. Koehler. et p. 86. ed. Hyland., et Schultensii *Indic. Geogr. ad vit. Salad.* s. v. Cf. *Extraits du livre Enisol Djelil fit-tarikhi Kouds vel-Khalil par Mr.* de Hammer in Opere: *Fundgurben des Orients* T. II. p. 138.

29) Contrarium affirmat Ibn-al-Vardi l. l., dicens abundare Askalonem hortis et frugibus.

Graecorum e Francis et aliis [30]), in quorum potestate etiamnum est. Est vero Askalon eximia Palaestinae urbs. Ei oppositi sunt ad austrum duo illustres tractus, Dschebal et Scharat [31]). Atque priorem illum quod attinet, urbis ejus appellatur Dareb. Scharatae urbs vocatur Daradscha.
Pag. 4 Uterque tractus abundat annonae proventu, oleis, amygdalis, ficubus, vineis, malisque granatis. Habent haec loca hoc commune, quod eorum solum e pice constat, quod ipsum valet de montium intervallis, quae inde progrediuntur. Vertex montis orientalis habet auri argentique mineras. Inde ad Amman iter est per vallis angustiam inter duos montis ramos, cui el-Mudscheb [32]) est nomen. Est magnus fluvius e fonte profundo oriens, permeatque val-

---

30) Loquitur Noster de expugnatione Askalonis per Balduinum III., regem Hierosolymae, facta, anno 1153. aerae Christianae. Per errorem autem *copiarum Graecarum* mentionem facit, quarum illa in expugnatione nullae partes erant. Vid. WILKEN's *Geschichte der Kreuzzüge* Vol. III. P. II. p. 21. seqq.

31) De *Scharat* vid. supra Not. 15. *Dschebal* vero est veterum *Gebalene* de qua docte disseruit RELANDUS *Palaest.* p. 82. seqq. De utraque regione vid. locum *Jakuti*, quem attulit Kochlerus in *Addendis et Corrigendis in Notis* ad Tabul. Syr. ad p. 7. not. 31. In Geographia Orientali quam OUSELEY sub *Ebn-Haukali* nomine e Persico Anglice vertit p. 40. haec leguntur: جبال *Jebal* and شراة *Sherah* are two well habited and pleasant districts. The chief town of Jebal is called ادرة *Aderah;* of Scherah *Rouad.*" Alia earum urbium nomina statim Noster exhibet. Cf. BURCKHARDTI *Travels in Syria* p. 401. et p. 674. vers. teuton.

32) Hebraeorum *Arnon* fluvius; vid. BURCKHARDT l. l. p. 371. s. p. 633. vers. teuton. Cf. *Handbuch der biblischen Alterthumskunde* Vol. II. P. I. pag. 208.

lem[33]) inter duos illos montium ramos, qui ita sibi propinqui sunt, ut si duo homines in utraque fluminis ripa sese alloquuntur, alter alterius sermonem percipere possit. In eo monte viator sex milliaria descendit totidemque ascendit. Ab Ascalone ad maris litus sita ad arcem el-Machur primam mari adjacentem sunt millia viginti quinque. Ex ejus regione in mediterraneo sunt vineae, palmeta, et Bait-Dschabril[34]) (Domus Gabrielis), in quo duo sunt hospitia, ad quae iter facientes diverti solent. Tum ad el-Machur secundam milliaria viginti quinque. Inde ad Jafam, quae est portus Hierosolymae, distantque ab invicem duas stationes haud magnas.

Hierosolyma vero urbs est illustris atque antiquissimis temporibus condita, quae Aelia olim dicebatur. Sita est super montem, ascenditurque ad eam ex omni parte. Est in se ipsa longa, protenditurque in longum ab Occidente in Orientem. In extremitate ejus occidentali est Porta el-Mihhrab (Sacrarii s. Templi). Super hanc portam est turris Davidis, cui pax! In extremitate autem orientali est alia porta, quae Bab-el-Rachmat (clementiae) vocatur; atque

---

33) فيا significatu haud diversum videtur a فَأْوٌ (a فَأَا ult. و vel ى *fidit*), *interstitium inter duos montes*, Golii *Lex.* p. 1751.

34) كورة بيت جبريل *regionem Bait Dschabril* commemorat Ibn el-Wardi (p. 170. ed. Koehl., p. 80. edit. Hyland.) inter provincias, in quas tunc Syria divisa erat. Ad austrum illius فحص التيه *desertum et-Tih*, i. e. montis Sinai esse ait. Cf. Schultensii *Ind. geograph.* s. v. *Beit-Sjibrinum*, بيت جبرين, ita enim scribitur in Lexici geographici loco ab ipso allato, ubi dicitur, esse parvum oppidum inter Hierosolymam et Gazam.

haec est clausa, nec aperitur nisi inde a festo Palmarum[35]). Habet etiam a latere portam, quae porta Sihun dicitur; et a latere septentrionali est porta columnae corvi. Cum quis ingreditur per portam el-Mihhrab, quam ex parte occidentali esse diximus, et pergit orientem versus per plateam angustiorem, recta venit ad magnum Christianorum templum, quod templum resurrectionis, a Muslimis vero el-Komamat[36]) appellatur. Ad illud templum invisendum concurrunt Graeci ex omnibus suis regionibus tam orientalibus quam occidentalibus. Cum ingreditur quis per templi portam occidentalem, animadvertit se esse intra testudinem[37]), quae totum templum obtegit, estque unum ex admirandis mundi. Est vero templum infra illam portam, nec potest quisquam descendere ad illud ex hac parte; sed ex porta, quam habet ad septemtrionem, patet descensus ad inferiorem templi

---

35) Verba الا من عيد الزيتون لمثله Gabriel Sionita vertit: *nisi singulis diebus festi Palmarum.* Vix dubium intelligi *dominicam Palmarum;* quae Arabice *festum olivarum* vocatur, quod eâ Hierosolymae a sacerdotibus Romanae ecclesiae palmarum et olearum rami consecrantur. Vid. MARITI *Itiner. Commentar.* p. 379. vers. teuton. Pro لمثله in Ms. est الى مثله quod quid sibi hic velit non assequor. In textu a Koehlero e codice Dresdano exhibito legitur tantummodo: الا من عيد الزيتون. In cod. Lugdun. et Upsal. (ed. Hyland. p. 80.: الا من عيد الزيتون الى عيد الزيتون, quod KOEHLER vere inepte esse ait, „tum enim semper clausa [aperta] esset.“ HYLANDER vertit: *nisi ab initio festi olivarum ad finem ipsius*, quod verba Arabica non admittunt.

36) قمامة, a قَمَّ *everrit* domum, *sordes versae*, sterquilinium, „vel probrose ita mutantes nomen القيامة, vel quod olim urbis sordes eo comportari solerent.“ GOLIUS *ad Alfragun.* p. 138.

37) Pro داخل, quod est in edit., recepimus وسط.

partem per triginta gradus; et haec porta vocatur porta Sanctae Mariae. Descendenti vero in templum occurrit statim Sepulchrum sanctum, praecelsum, duo habens ostia, et super illud est testudo fornicata, firmissimi aedificii, soli- Pag. 5
dissimae fortitudinis, artificiosissime elaborata. Ostiorum illorum duorum unum respicit aquilonarem partem, ad quam est porta Sanctae Mariae; alterum opponitur huic a meridie, et vocatur ostium crucifixionis, eique imminet frons templi [38]). E regione templi hujus, ab oriente, exstat templum valde magnum, in quo Franci celebrant sacra et sacrificia faciunt. In orientali hujus templi parte leviuscule [39]) declinando ad meridiem est carcer, in quo detentus fuit Dominus Messias, et locus, ubi cruci affixus est. Testudo vero maxima est perforata et coelo patens, et circa illam depicti sunt prophetae, Dominus Messias, Domina Maria, ejus mater, et Joannes Baptista. Inter lampades, quae supra sacrum sepulchrum sunt suspensae, tres aureae proprio sepulchri loco imminent. E templo hoc majori si egrederis, pergisque ad orientem, occurrit tibi aedes sancta exstructa a Salomone, filio Davidis, nempe templum illud, ad quod invisendum confluebant Judaei, dum res eorum adhuc florerent; postea vero ex eorum manibus ablatum est, suntque venientibus Muslimis ex illo expulsi. Sub regno Muslimorum vero factum est magnificentissimum.

---

38) Pro قبقنار quod est in edit., voce nihili, scripsimus ex conjectura مقدمة.

39) Pro لطيف, quod est in edit., Ms. habet يسير.

estque Oratorium illud, quod apud eos el-Aksa[40]), i. e. i. e. remotius, vocatur. Nullum autem est in toto terrarum orbe templum quod illud aequet magnitudine, praeter templum maximum, quod est Cordubae, in regionibus Andalusiae. Imo, uti fertur, tectum templi Cordubae, majus est tecto templi el-Aksa. At vero area templi Al-aksa est major area templi Cordubani, porrigiturque in longitudinem ducentis ulnis, centum octoginta in latitudinem[41]). Ea dimidia ejus pars, quae Sacrario est propinqua, lapideis est concamerata fornicibus, quos multi columnarum ordines sustentant, altera dimidia areae pars est sine tecto. In medio templo exstat testudo ingens, quae appellatur testudo petrae, uti vocant, cadentis; quoniam sub media testudine conspicitur petra instar clypei[42]) cubica, cujus extremitatum una elevatur a terra dimidiatâ staturâ, vel paulo minus,

---

40) المسجد الاقصى „*Templum extremum* Arabes dixerunt, vel quod a suo, nempe Meccano, longius abesset; vel quod altissimo emineret situ, quem et ipsi tribuebant urbi.“ Golius l. l. p. 136. Cf. Paul Lemming *Specimen libri* اتحاف الاخصا بفضايل المسجد الاقصى *auctore Kemaloddino* cet. Havn. 1817. p. V., et descriptionem illius Templi quam Gallice redditam e libro *Enis-ol-dschelil fit-tarikh el-Kuds* Ill. de Hammer inseruit operi: *Fundgruben des Orients* P. II. p. 87. et 93.

41) Quae in textu nostro Arabico Pag. 5. lin. 12. inde a verbis ولبيس في الارض usque ad ماية وثمانين Pag. ead. lin. 16. leguntur consentiunt, paucis varietatibus, cum Ibn-el-Vardi p. 180. ed. Kochler, p. 88. ed. Hyland. Verba اكبر من صحن جامع قرطبة والمسجد الاقصى هو, quae in edit. desunt, recepimus e Ms.

42) Pro كالدرقة apud Abulfedam p. 9., qui eadem fere quae Noster de lapide illo refert, legitur مثل الدكة *instar scamni sedilis*, ut Koehlerus vertit, quod ei quod Edrisius habet, praeferendum videtur.

altera est humi defixa. Hujus petrae longitudo respondet fere latitudini, habet enim plus decem cubitis in latitudine, totidemque longitudine. Sub testudinis convexo descenditur in cavitatem quandam subterraneam, tenebrosae domus instar, longitudinis decem cubitorum, quinque latitudinis, altior staturâ, in quam descendit nemo nisi face lumen sibi paret. Habet haec testudo quatuor januas, et januam ejus occidentalem respicit altare, super quo filii Israelis sacrificia offerebant. Prope januam ejusdem orientalem exstat te- Pag. 6
studo, quae Sacrosanctum vocatur, elegantis venustaeque molis. Januam ejus meridionale respicit conclave, quod Turcis fuerat oratorium: at postquam Graeci illud ceperunt, mansitque in eorum manibus usque ad tempus, quo hunc librum scribimus, verterunt illud conclave in habitaculum cujusdam familiae, dictae Raubitarum[43]), id est, ministrorum domus Dei. Januam denique septemtrionalem respicit hortus amoenus, variis consitus arborum generibus, et columnis marmoreis artificiosissimo opere caelatis circum ornatus. In extremo horto exstat aula, inserviens presbyteris et clericis ad sumendum cibum. Egressus ex hoc templo si procedis etiam orientem versus, pervenies ad portam misericordiae, ut supra diximus, clausam, et non longe ab illa ad portam aliam apertam, quae Bab - el Asbat (Porta tribuum) dicitur, per quam patet aditus ingredientibus et egredientibus. Exeunti tibi e porta el-Asbat, et quantum

43) راوبة vocem peregrinam esse inde patet, quod Edrisio ejus significationem adjicere necesse visum est. Sed cujusnam sit linguae? equidem ignoro.

spatii sagittae jaculatus dimetiri potest progredienti, occurrit templum maximum atque pulcherrimum, Dominae Mariae nomini dicatum. Appellatur locus iste Dschesmania, ibique est illius sepulchrum e regione montis olivarum, qui distat ab el-Asbat uno fere milliari. In via, qua ad istum montem ascenditur, est aliud pulchrum ac praestans templum, in quo conclusi viri et mulieres mercedem a Deo O. M. expetunt. In ejusdem, quem modo commemoravimus, montis parte orientali, aliquanto cum flexu ad meridiem, est sepulchrum Lazari, quem Messias in vitam revocavit. Ad duo milliaria a monte olivarum est villa, e qua ducta fuit asina, in qua vectus est Christus cum Hierosolymam ingressus est; nunc vero est diruta, a nemine habitata. A sepulchro Lazari incipit via, qua itur ad Jordanem fluvium, dissitum ab Hierosolyma diei unius itinere. Priusquam autem ad Jordanem venias, occurrit tibi Jericho urbs, cujus supra facta est mentio; distat a fluvio tribus passuum millibus. Secus flumen, quod Jordanes vocatur, est templum magnum, a Sancto Joanne nuncupatum, n quo degunt monachi Graeci. Jordanes fluvius exiens e lacu Tiberiadis influit in lacum Sodomae et Gomorrhae. Ex parte meridionali Jordanis desertum est continuum. Ad ea quod attinet quae Hierosolymae ad austrum sunt contigua; egrediens per portam Sion, et quantum est jactus lapidis
Pag. 7 progressus, pervenis ad templum Sion, magnificum et munitum, ubi est coenaculum, in quo comedit Christus Dominus cum discipulis, et mensa ibidem asservatur ad hoc usque tempus; visiturque statuto tempore diei Jovis. Ex porta Sion descenditur in angustam vallem, quae Gehinnom

appellatur, cujus in extremitate jacet templum a Petro nuncupatum. In ipsa vero valle est fons Siloë, ubi Christus Dominus curavit coecum infirmum, qui antea oculos non habuerat. Ad australem partem hujus fontis jacet ager, in quo peregrini sepeliuntur, quam terram Dominus emerat in hunc finem. Haud procul ab eo agro sunt plures domus in petra excisae, in quibus commorantur viri, qui pietatis ergo sese clausere [44]).

Bethlehem, ubi natus est Christus, distat ab Hierosolyma sex millibus passuum. In media via ista habetur sepulchrum Rachelae, matris Josephi et Benjamini, filiorum Jacobi, quibus sit pax! Huic sepulchro sunt decem lapides impositi, impendetque testudo lapidea concamerata. In Bethlehem vero illo in loco (ubi natus est Christus) est templum aedificio pulcherrimum, situ fortissimum, amplum, et supra quam dici possit ornatissimum, ita ut nullum aliud paris structurae templum conspiciatur. Est autem situm in terra plana, habetque ad occidentem [45]) portam unam, suntque in ipso pulcherrimae quaeque columnae marmoreae. In angulo templi, qui septentrionem respicit, exstat sub ipso templo spelunca, in qua natus est Christus, et intra speluncam, praesepe, in quo inventus fuit. Egrediens e Bethlehem vides ad orientem templum Angelorum, qui pa-

---

44) Quae inde a verbis: *Exeunti tibi e porta el - Asbat* supra p. 13. l. ult. versionis, et p. 6. l. ult. textus Arabici leguntur, habet quoque, paucis et exiguis varietatibus Ibn - el - Vardi p. 181. ed. Koehler., p. 88. ed. Hyland.

45) Verba من جهة المغرب e Ms. recepimus.

storibus nuntiarunt esse Christum Dominum natum. A Bethlehem ad templum Abrahami ad austrum habentur octo fere milliaria; est autem Bethlehem vicus, urbis nomine donatus, et in ejus templo sepulchrum Abrahami, Isaaci et Jacobi, quibus sit pax! et ex adverso sepulchri singulorum ex illis est sepulchrum uxoris suae. Atque haec urbs in clivo sita est inter montes densis olivarum, ficuum, sycomororum aliorumque fructuum arboribus consitos. Ad plagam septentrionalem Hierosolymae nullum exstat aedificium. Ab urbe Hierosolyma ad Neapolin urbem, septentrionem versus, est iter bidui, et a Neapoli ad Ramlam
Pag. 8 magnae diei iter. Item ab Hierosolyma ad Amman et Belkam iter bidui et amplius. Ab Hierosolyma ad Tiberiadem sunt nonaginta millia passuum; a Tiberiade vero ad Ramlam, tres stationes. Tiberias est urbium Jordanicarum maxima et arce instructa[46]). Ab ea ad Tyrum est iter duarum grandium dierum, et ab hac ad ascensum Aphik[47]) dies non integra. Ab hoc ad Baisan iter etiam diei non integrae. Inde ad Amatham urbe planitiei Jordanicae, tum ad terminos territorii Jordanis, indeque ad locum quendam, qui dicitur Giamila, iter diei. A Tiberiade ad Acca*),

---

46) De Tiberiade multo plura habet Ibn-el Vardi p. 184. ed. Koehl., p. 92. ed. Hyland.

47) Pro ابلق, quod est in edit., e Ms. recepi افيق, forsan veterum Hebraeum אֲפִיק sen. אֲפֵק, urbs tribus Ascher, Jos. XIII, 4. XIX, 30. Jud. I, 31.

*) De Acca, Hebraeis עַכּוֹ, Graecis *Ptolemais*, scriptoribus historiae belli sacri *Acca*, hodie *St. Jean d'Acre*, vid. quae collegimus in libro: *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 60 seqq.

duarum dierum brevium; estque haec urbs conspicua, super montem longe se porrigentem sita, longa quidem in se, at non admodum lata, occupatque longitudine spatium duorum fere milliarium. Infra ipsam ad occidentem est lacus aquae dulcis, habens in longitudine duodecim milliaria totidemque in latitudine. Caesarea est urbs maxima, habetque moenia integra et arcem munitam[48]). Inter ipsam et Jafa est intervallum XXX milliarium. A Caesarea ad Neapolim, statio una. Et similiter a Caesarea ad Ramla stationes duae breves. Item a Caesarea ad urbem Chaifa maritimam bidui est iter. Chaifa autem jacet sub promontorio Carmel, quod in mare procurrit, habetque portum navigiis grandibus aliisque opportunum. Urbs Chaifa est portus Tiberiadis, distantque ab invicem spatio trium haud magnarum stationum. A Chaifa ad urbem Accah, itinere terrestri est statio una, triginta nempe milliarium; recto autem itinere maritimo, milliaria decem et octo. Urbs Accah est magna, terminis ampla, frequens praediis, habetque portum optimum et fidum, cives convenas. Ab Acca ad Tiberiadem est duarum dierum iter. Ab Acca ad arcem ez-Zait sunt duodecim milliaria; estque illa arx pulchra in littore maris sita. Ab ista arce ad en-Nauakir[49]), tres montes albos, sublimes, longe se in maritimis oris protendentes, sunt fere octodecim milliaria. A mediis montibus en-

48) De Caesarea Palaestinae cf. ABILFEDAE *Syr.* p. 80. et SCHULTENSII *Ind. Geograph.* s. v. *Caesarea.*

49) Tyrum inter et Ptolemaidem; vid. SCHULTENS l. l. s. v. *Nauakirum*, et cf. MAUNDRELLII (cui *promontorium album* dicitur) *Itinerar.* in Sylloge Itinerariorum a PAULO V. S. V. instrueta P. I. p. 69.

Nauakir ad urbem Alexandriam sunt quinque milliaria, et ab Alexandria ad Tyrum urbem sunt quindecim milliaria. Est vero illa urbs pulchra ad mare sita. A Tyro ad Tiberiadem est iter duarum dierum non modicarum. Ab ea ad Adlun, arcem munitam secus mare sitam, indeque ad Sarfand[50]), arcem pulchram, sunt viginti milliaria. Ab ea ad Sidonem, decem milliaria. Tyrum inter et Sarfand labitur flumen Lanta[51]), quod oritur e montibus, ibique mari se mergit. A Tyro ad Damascum quatridui est intervallum. Urbs autem Dama-
Pag. 9 scus[52]) est e nobilissimis Syriae urbibus, situ pulcherrima, aëre saluberrima, solo foecundissima, abundantissima aquis, frugibus opulentissima, fertilitate uberrima, ditissima opibus, militibus instructissima, aedificiis summe conspicua: habetque montes atque arva, quae vocantur el-Ghuta; protenditurque el-Ghuta spatio duarum stationum in longitudinem, unius in latitudinem. Continentur in ea pagi urbium ad instar, qualis est Meza cum suis suburbiis, Barda, Charschena, Caucaba, Jalas, Caphar[53])-Susana et Bait-ol-Ahva, in qua est oratorium non multum dissimile oratorio

---

50) Hebraeis צָרְפַּת *Sarepta*, vid. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 28.

51) Pro لنطة videtur ليطانة s. ليطانى legendum esse; vid. BURCKHARDT *Travels in Syria* p. 42. vers. teuton. et cf. *Handbuch d. bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 4.

52) Cf. de ea ABILFEDAE *Syr.* p. 100. coll. p. 15., et IBN EL-VARDI p. 171. ed. Koehl., s. p. 80. seqq. ed. Hyland.

53) Pro كفو, ut est in edit., haud dubitavimus e Ms. كفر *pagus* reponere. سوسنة i. q. سوسن *lilium*. In Ms. est شوشنة.

Damasceno. Ad portam Damasci occidentalem habes vallem el-Benefsag (s. Benefsedsch, i. e. violarum)[54]), quae duodecim milliaria occupat longitudine, tria latitudine, totam variis fructuum generibus consitam, et fluminibus quinque distinctam. Aquae vero per el-Ghutam decurrentes, exeunt e fonte el-Faidsje[55]), qui ortum habet in cacumine montis, quare aquae de summitate montis hujusce defluentes non secus ac magnus amnis maximum edunt murmur, strepitusque ingens e longinquo auditur[56]). Aquae descensus a summo monte conspicitur supra vicum Ail, dum ad urbem pervenit. Urbem cum attigit, dividunt se inde plures fluvii de illa nominati, ut fluvius Berda, fluvius Tura, fluvius Jazid, fluvius Canat-el-Meza, fluvius Banias, fluvius Sacat, fluvius Jaschear, et fluvius Aavia[57]), ejus vero aqua non est potui idonea, quoniam urbis purgamentis et operariorum rejectamentis atque canalibus minoribus inquinatur. Urbem hic fluvius mediam secat, impositusque ei est pons, per quem homines transeunt. Ex omnibus illis, quos com-

---

54) De بنفسج vid. DE SACY ad *Abdollatiphi Memorabilia Aegypti* Gallice ab ipso reddita p. 130. not. 14. et GARCIN DE TASSY *Oiseaux et les fleurs* p. 148.

55) Cf. *Handbuch d. bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 247.

56) Quae jam sequuntur usque ad verba: *estque urbium Syriae opulentissima*, infra p. 22. lin. 18. in textu Arabico a verbis: ويرى نزول الماء Pag. 9. lin. 9. usque ad verba وهي من اغنيا البلاد الشامية Pag. 10. lin. 20. sunt e Ms. inserta.

57) Pro عاوية in Ibn el-Vardio p. 175. ed. Koehl. legitur عادية, et in edit. Hylandr. p. 84. داعية.

memoravimus, fluviis ductus derivantur aquarum, qui urbem permeant, et vias, fora, plateas, balnea interfluunt, atque in hortos illius tandem delabuntur. In ea templum est majus[58]), cui par est nullum in orbe terrarum structurâ, nec pulchrius eô formâ, nec solidius quoad firmitudinem, nec validius quoad fornicum nexum, nec elegantius quoad conformationem, nec admirabilius quoad magnificentiam variis speciebus aurearum caelaturarum, laterum laevigatorum et marmorum politorum. Qui ad hoc templum accedit a parte portae Chaidur ascendit ad illud gradibus fere triginta e marmore albo excisis. Qui vero ad illud venit a parte portae el-Barid, et Sacelli[59]) viridis, aut arcis dementium, aut lapidis (vel muri) aurei, aut porta hortorum, ingreditur in plano solo, nullis gradibus. Sunt in hoc templo quaedam memoratu digna admiranda, ut duplex septum[60]), et fornix super locum ubi antistes consistit[61]) apud adytum, quod exstructum dicitur a Sabaeis et fuisse in eo eorum idola. Tum fuit hoc templum in potestate

---

58) De جامع et مساجد vid. quae Reiskius notavit in *Annotatt. historr.* ad Abulf. Annall. T. I. p. 108. not. 195.

59) Nomen قبّة, quod proprie *concameratum opus* significare constat, et de *sacello*, tecto fornicato instructo, usurpari, evicit Lorsbach in *dem neuen Repertor. für bibl. u. morgenl. Literat.* ab H. E. G. Paulus edito P. III. p. 112. 113.

60) Iis quae de hoc templo hic leguntur consona habet Abulfeda Syr. p. 15. seq. edit. Kochl.

61) De مقصورة vid. Herbelot *Biblioth. Orient.* s. v. *Macsurah*, et Reiskii not. ad *Abilfedae Annall.* T. I. p. 376.

Graecorum, qui in eo sua sacra fecerunt. Post eos erat regibus ex idololatris, et locus idolis suis sacer. Hinc de- Pag. 10
volutum est ad Judaeos. Illo tempore exstitit Johannes, Zachariae filius, cujus caput fixum est super ea templi porta, quae porta Chairun[62]) dicitur. Tum eo templo potiti sunt Christiani, qui illud per aliquod tempus tenuerunt, et in aedem sacram mutarunt, in qua sua sacra fecerunt. Postea expugnarunt eam Muslemi et in fanum majus adsciverunt. Valid, Abdol-Maliki filius, ex Ommiadum gente, illud denuo exstruxit, ejusque solum marmore stravit, fornices vero et columnarum ejus capita fecit aurea; ejus quoque locum sacrosanctum, ubi antistes consistit, deauravit, reliquos parietes fecit argenteos, in gemmarum similitudinem. Tectum totum ambit lorica, sicut templum circumdat murus, ad quatuor partes elegantissime fabricatus, et admirandum in modum exornatus. Fertur, in summo tecto esse scrobes plumbeos, solidissime concinnatos, unde in canalibus plumbeis aqua huic templo ad lotiones necessaria defertur[63]). Valid Abdol-Maliki filius, cujus supra mentio facta, narratur in templi hujus majoris exstructionem totius Syriae reditus duorum annorum consumsisse[64]). Damascus est urbs

---

62) Pro حيرون in Abilfedae Syr. l. l. est جيرون.

63) Pro نتج, uti in Ms. est, legendum نشج, verbum denominativum a نَشَجٌ *aquae ductus, canalis.*

64) Validum miro aedificandi studio flagrasse, dicit ABULFEDA *Annall.* T. I. p. 426., et de fano ab illo Damasci exstructo, vid. eundem p. 428. cf. Reiskii Annotatt. historr. not. 195. in fine.

recens condita; eratque ex ejus locis olim ante Islamismum ille locus cui nomen est el-Dschabia [65]); et aedificata est Damascus prope eam. Sunt huic urbi portae plures, veluti porta Dschabiae, porta Thomae, porta salutis, porta hortorum, et porta parva. Urbs Damasci intra se continet plures species rerum elegantiorum, varia genera operum artis atque pannorum sericorum, veluti pannos e serico grossiori, et pretiosores auro intextos admirandae texturae atque formae praestantissimae. Illa ad omnes quaquaversum regiones exportantur, iisque Damasceni in omnes terras et vicinas et longius remotas mercaturam exercent. Sunt Damasco ad ejus fluvios plures molae intra ipsam urbem. Gaudet magna tritici copia, variisque fructuum generibus. Edulia dulcia, quae in hac urbe parantur, quod attinet, nusquam alias plura illisque praestantiora reperiuntur. Artificum opera, quae in hac urbe fabricantur, vendibilia sunt, et ex ejus mercatu plurimum lucri redit, estque urbium Syriae opulentissima. A Damasco ad urbem Baalbec, in plaga orientali, habentur duae stationes; estque haec urbs munita [66]) ad radices montis apposita [67]). Ambit eam

65) De hoc oppido vid. Reiskii *Annotatt. historr.* ad Abilfedae Annall. T. I. p. 41. not. 89.

66) Pro خصيبة, uti legitur in edit., legendum حصينة, uti Ibn el-Vardi habet, p. 187. ed. Koehl., p. 94. ed. Hyl.

67) Quae jam sequuntur usque ad verba: *omnia hujus urbis aedificia sunt admiranda*, p. 23. lin. 19., in textu Arabico Pag. 10. lin. 21. inde a verbis: وعليها سور حصين usque ad verba كل شى عاجيب Pag. 11. lin. 8. sunt e Ms. inserta. Ceterum vid. de Baalbec Abilfedae *Syr.* p. 103., et Ibn el-Vardi p. 187. ed. Koehl. p. 94. edit. Hyl., atque libr. nostr. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 280. seqq.

murus munitus lapidibus exstructus, viginti mille passuum amplitudine. Urbem fluvius mediam secat, et aqua in multas domus derivatur. Impositae sunt huic fluvio plures molae. Abundat frumento rerumque bonarum copia, fructibus iisque nobilioribus, vineis et arboribus, esculentis, campisque uberibus herbis. Ex admirandis ejus aedificiis Pag. 11
celebrioribus dignae sunt memoratu ruinae ob altitudinem structurae suae et idolorum (statuarum). Quod potissimum est admirandum sunt duo theatra, majus et minus. Majus fertur exstructum temporibus Salomonis, filii Davidis. In eo admirationem movent saxa, quorum singula sunt decem cubitis plus minusve longa. Est quoque in eadem aliquid super columnis albis constructum, cujus adspectus terrorem incutit. Theatrum minus prorsus est dirutum, ejusque ornamenta evanuerunt. Est ex illo nihil reliquum nisi paries viginti cubitorum longitudine, totidemque a solo altitudine. Sunt in eo nonnisi septem lapides, unum in inferiore parte, duo super illum, et quatuor super his duobus. Omnia hujus urbis aedificia sunt admiranda. Ab urbe Damasco ad Bairut est iter duarum magnarum dierum, et pari spatio ipsa distat ab urbe Saida. A Damasco ad Adhraat, quae est urbs Basanitica, sunt quatuor stationes. A Damasco ad Nablusam stationes sex, occidentem versus. A Damasco ad Atrablos (Tripolis), urbem maritimam, stationes quinque. Urbs Saida quoque in litore maris salsi sita est [68]).

---

68) Quae nunc sequuntur usque ad verba: *deducitur in canalibus a vicinis montibus* infra p. 24. lin. 13., in textu Arabico p. 11. lin. 12. inde a verbis: فيها سور usque ad verba من جبلها فى قناة lin. 19. sunt e Ms. recepta.

In ea est murus lapideus, qui de muliere quadam, quae ante Islamum vixit, denominatur. Est ipsa urbs magna, foris exculta, vile ibi annonae pretium. Circumdata est hortis arboribusque, atque abundat aquis. Suburbani agri sunt ampli. Divisi sunt in quatuor tractus, qui ad montem usque Libanum pertingunt. Tractus Charbas, quem permeat fluvius el-Charr, celebris est ob annonae et frugum ubertatem. Tractus el-Sariath nobilis est. Duo reliqui tractus sunt Capharphila et er-Rami. Et is quidem est fluvius, qui montes illius secat et in mare effunditur. Hi quatuor tractus continent plus quam sexcenta praedia. Aqua qua illorum incolae ad potum utuntur, deducitur in canalibus a vicinis montibus. Est in ista urbe, Saida puta, fons celebris, in quo crescunt verno tempore pisciculi, digitali longitudine, masculi et feminae, signis quibusdam sexuum varietatem distinguentibus. Tempore, quo coire solent, capiuntur et siccantur; cumque res postulaverit, sumitur unus ex ipsis, contunditur, et cum aqua hauritur, efficitque, ut homo vehementi libidine exardescat, et absque lassitudine et intermissione coëat quantum voluerit.
Pag. 12 Hi autem pisciculi sunt parvi, ad modum lacertarum [69]), habentque parvos pedes et anteriores et posteriores agiles. Nos ipsi eos non unâ vice vidimus. A Saida ad Chamma,

---

69) Verba: *habentque parvos pedes usque* ad: *vidimus*, in textu Arabico a لها ad مرة p. 12. lin. 1. sunt e recepta Ms. Ceterum loquitur de *lacerta*, *Scincus marinus* dicta, insigni Aphrodisiaco Orientalibus in multo usu; vid. Hasselquist *Reise nach Palaestina* p. 359. seqq. Descriptionem hujus animalis claudit hisce verbis: „Error fere omnium auctorum, dum piscem crediderunt scincum marinum."

arcem secus, mare constructam, est intervallum octo millium passuum. Ab hac ad arcem Kalmun ad mare quinque milliaria [70]). Ad eam est pons perquam latus fluvio impositus. Estque arx super eo exstructa in flexu sinus maris inaccessa. Inde ad arcem Naama, quae est veluti urbs parva, sunt septem milliaria [71]). Naama est urbs pulchra. Frequentissima plantarum terrae ejus est arbor siliquae [72]). In nulla alia terrae cultae parte hic fructus tanta copia et praestantia reperitur. Hinc ex eo loco cum illo mercatura exercetur in Syriam et Aegyptum, atque a Naama siliqua Syriaca denominatur. Quamvis enim siliqua in tota Syria frequens est, tamen in Naama est copiosissima et praestantissima. Ab arce Naama ad promontorium Bairut sunt viginti quatuor milliaria [73]). Haec quoque urbs ad litus maris sita est. Habet murum lapideum magnum et amplum [74]).

---

70) Quae sequuntur a verbis: *Ad eam* usque ad: *inaccessa*, in textu Arabico p. 12. lin. 3. a وهذا الحصن usque ad جون lin. 4. inseruimus e Ms. Nomen جون, quod neque in Camuso neque in Golii Lex. reperitur, Edrisius saepe de *sinu maris* usurpat, veluti pag. 26. edit. Rom. lin. 18., et ead. pag. 14. legitur Plurale اجوان.

71) Quae sequuntur: *Naama est*, usque ad: *praestantissima*, lin. 12., in textu Arabico pag. 12. lin. 5. a والناعبة usque ad واطيب p. 12. lin. 9. recepimus e Ms.

72) De خرنوب *siliqua* vid. Bocharti *Hieroz.* P. I. L. II. Cap. 57. T. I. p. 817. seqq. edit. Lips., Celsii *Hierobot.* P. I. p. 226. seq., et Hasselquist l. l. p. 531.

73) Quae sequuntur: *Haec quoque urbs* usque ad: *aquâ cisternarum*, p. 26. lin. 6., in textu Arabico p. 12. lin. 9. a verbis ومدينة بيروت usque ad من الابار pag. 12. lin. 14. inserta sunt e Ms.

74) De urbe Bairut vid. Abulfedae *Syr.* p. 94., cf. Schultens In-

In ejus vicinia est mons, in quo fodina ferri praestantissimi, ex qua magna hujus metalli copia exscinditur et extrahitur atque in Syriam exportatur. Ad austrum urbis est sylva pinorum, quae ad Libanum usque pertingit, estque in flexuoso sinu*) duodecim millium passuum. Incolae in potum utuntur aquâ cisternarum. Ab hac (Bairut) Damascum est bidui iter. A Bairut ad arcem el-Moradesiae sunt octo milliaria. Inde ad Nahr el-Calb (flumen canis), arcem parvam ad mare positum, sunt sex milliaria[75]). Ab ea ad Dschuniam, arcem magnam ad mare sitam, quatuor milliaria. Incolae hujus arcis sunt Christiani Jacobitae. Hinc ad Atfat-Salam, sinum magnum, decem milliaria. Inde ad Machur-Dschebail, arcem fortissimam. Ab ea ad ostium fluminis Ibrahim[76]) tria milliaria. Ab eo flumine ad urbem Dschebail quinque milliaria[77]). Est urbs pulchra

---

dex s. v. *Berytus*, et libr. nostr. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 19. seqq.

*) تكسير Nom. action. Conjug. II. *in partes plures confregit*, nostro saepius, veluti p. 33. lin. 20. edit. Rom., est *anfractus sinuosus*.

75) Quae sequuntur: *Ab ea* usque ad: *decem milliaria*, in textu Arabico p. 12. lin. 17. a جونية usque ad عشرة اميال lin. ead. sunt e Ms. recepta.

76) De hoc flumine vid. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 3. et 56.

77) Quae sequuntur: *Est urbs* usque ad: *mercibus destinatum*, p. 27. l. 5. in textu Arabico p. 12. l. 19. a verbis وفي مدينة usque ad وحط, l. 21. e Ms. inserui. حَطّ i. q. محطّ a حط *demisit, dejecit*, est non tantum *locus ubi quis ex itinere descendit deponitque sarcinas*, verum et quod Graeci ἐμπόριον dicunt, locus ubi merces reponuntur. Ceterum de urbe Dschebail,

ad mare sita, habetque murum lapideum munitum. Est ei tractus amplus, gaudetque arboribus, fructibus, et vineis; caret vero aquâ fontana, quare incolae ad potum aqua ex cisternis utuntur. Habet portum et receptaculum peregrinis mercibus destinatum. Ab urbe Dschebail prope mare ad Bathrun arcem pulchram, decem milliaria. Ab ea ad Anf el-hadschar (i. e. nasum s. promontorium lapidis) secus mare positam sunt quinque milliaria. Ab Anf el-hadschar ad urbem Atrablus (Tripolin) Syriae sunt octo milliaria [78]). Magna est haec urbs, muro lapideo alto circumdata, suntque ei horti, agri, et pulchra praedia. Reperiuntur in ea oleae, vineae, cannae sacchari, variaque pomorum et frumentorum genera magna copia. Est in ea hospitium, quod a multis aditur. Mare illam a tribus partibus alluit, estque unum e refugiis (locis munitis, tutis) Syriae, ad quod mittuntur quibus comparari potest quaestus, et plura frumentorum et mercium genera. Vicinae sunt ei aliae arces et castella habitata, quae ad illius dictionem pertinent, ut Anf el-hadschar, cujus mentionem fecimus, arx Calamun, arx Abi-'l-Adas, et Armusijah. Urbi Tripolis ad meridiem est arx, quam Filius Sadschili Anu- Pag. 13

Graecis et Romanis *Byblos* dicta, cf. ABILFEDAE *Syr.* p. 109., A. SCHULTENS *Indic. geogr.* s. v. *Sjibla*, et libr. nostr. antea laud. Vol. II. P. I. p. 17.

78) Quae sequuntur a verbis: *Magna est haec urbs*, usque ad: *inter duos fluvios sita*, p. 28. lin. 3. in textu Arabico p. 12. lin. ult. a مدينة عظيمة usque ad بين واديين, p. 13. lin. 10. e Ms. inseruimus. Ceterum de urbe Tripolis cf. ABILFEDAE *Syr.* p. 101., SCHULTENS *Indic.* s. v. *Tripolis* et libr. nostr. laudat. Vol. II. P. I. p. 13.

chaeus exstruxit, unde Tripolim expugnavit; illam inter et urbem sunt quatuor milliaria. Est arx illa perquam inaccessa, media inter duos fluvios sita. Respiciunt urbem Tripolim quatuor insulae ordine dispositae. Prima, continenti propinquior, est insula Nardsches (Narcissi). Consequitur hanc insula Al-oomd (columnarum); post hanc est insula er-Raheb (monachi), ad hanc postremo accedit insula Avadhcun. Ab urbe Tripoli in litore pergens venis ad Ras el-Chasn (caput arcis)[79]), quae est urbs parva, incolis frequens, ad extremitatem sinus cujusdam, cujus sinus longitudo recta linea spatio quindecim milliarium extenditur. Sin autem secundum sinuosos litoris flexus mensuretur, triginta milliaria. Vocatur sinus Arka. Intra eum tres sitae sunt arces, parum ab invicem semotae. Una, Tripoli vicinior, Leonorus appellatur, altera Banina, adjacetque fluvio ejusdem nominis; tertia vocatur Chasn el-chamam (arx columbarum). Inde ad Arcam, cujus urbis[80]) vici fervent incolarum frequentia; ejus mercatura est copiosa, et incolae sunt opulenti. Potus eorum pervenit ad eos in canalibus, qui ducti sunt e fluvio urbi vicino. Gaudet urbs multis hortis multisque fructibus, et canna sacchari. Eam inter et mare sunt tria milliaria. Incolae illius vitae commoditate et prosperitate fruuntur, bonisque affluent. Domus urbis sunt gypso et terrâ exstructae.

---

79) Verba: *quae est urbs parva, incolis frequens*, Arabice وهو مدينة صغيرة عامرة اهله sunt e Ms. inserta.

80) Quae sequuntur usque ad verba: *et terrâ exstructae*, lin. ult. in textu Arabico p. 13. lin. 18. a بالحارة usque ad فالتراب p. 13. lin. 22. sunt e Ms. recepta.

Terrae Chems metropolis est ejusdem nominis[81]). Est urbs pulchra in planitie sita, incolis frequens. Frequentant eam peregrini cum omnis generis mercibus. Fora ejus nullo non tempore negotiat oribus fervent. Incolae mitis facilisque indolis bonis affluentem commodamque vitam agunt, Pag. 14
mulieres obesitate et pulchritudine sunt insignes. Aqua ad potum incolis defertur in canalibus a vicino quodam pago, ab urbe unica statione dissita, tractum Damascenum versus. Orontes fluvius, qui et el-Maclub (inversus) dicitur, fluit ad aquam illius pagi spatio jactus sagittae plus minusve. Habent incolae ad fluvium istum villas continuas, hortos, et rivos multos. E pago illo devehuntur ad urbem fructus. Vineae durante Islamo plerisque in terris magna ex parte perierunt; solum vero illarum aptum est satis et frugibus foecundum. Aër hujus urbis omnium Syriae urbium temperatissimus est; estque illa talibus incantationibus munita, ut nulli eam serpentes aut scorpiones ingrediantur, imo si ad portam civitatis adferantur, illico pereant. Est etiam in eadem urbe super excelsam testudinem, in medio urbis erectam, statua aenea equitis formam referens, quae pro vario ventorum circumductu varie circumvolvitur. In ejus testudinis pariete lapis est infixus, in quo scorpii figura est incisa; et cum quis morsus sive punctus fuerit, quod secum defert lutum ei lapidi applicat,

---

81) Quae sequuntur usque ad verba: *temperatissimus est*, lin. 16., in textu Arabico p. 12. lin. 22. inde a verbis ومدينة حمص usque ad verba بمدن الشام p. 14. lin. 2. e Ms. recepimus. Ceterum de urbe Chems cf. quae habent Abulfeda *Syr.* p. 104., Ibn el-Vardi p. 186. edit. Koehl., p. 92. edit. Hyl., et A. Schultens in *Indic. geogr.* s. v. *Emessa.*

ac morsui admovet, statim sanatur. Plateae hujus urbis sunt duro lapide stratae. Agri ejus sunt fertilissimi, eorumque sata sufficiunt victui omnium incolarum. Est in ea templum majus, quod magnitudine omnia templa majora urbium Syriae superat.

Ab urbe Chems ad Chaleb habentur stationes quinque, et ab eadem Chems ad Antarsum mari adjacentem duae stationes. Via ab Arca ad Antarsum per oras maritimas capiendum est: egrediendum enim ex urbe Arca ad arcem, quae vocatur Schendsch, tum ad urbem Antarsum, quae quidem sita est in extremitate magni alicujus sinus, spatiosis montibus ut plurimum occupati. Secatur autem iste sinus XV. milliarium mensura recta linea sumta[82]). Urbem Arvad quod attinet est ea insula e regione Marakiae urbis ad litus maris sitae[83]). Eam inter et insulam Arvad spatium est fere duorum sagittae jactuum. Ea insula expugnata et erepta est Francis tempore el-Malik en-Naser, filii Kelavuni[84]); hodie nullas incolas habet; urbs Marakia quoque

---

82) Quae sequuntur inde a verbis: *Urbem Arvad* usque ad verba: *ad plagam orientalem*, p. 31. lin. 4. in textu Arabico p. 14. l. 18. a verbis ومدينة ارواد usque ad verba من جهة الشرق p. 14. lin. 23. sunt e Ms. inserta. De urbe Arvad, veterum Arado, vid. quae attulimus *in dem Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 6. seqq.

83) De hac urbe vid. SCHULTENS Indic. sub v. Commemoratur et ab ABULFEDA *Annall.* T. IV. p. 88.

84) Quod hic de Arado insula ab En-Naser Kelavuni fil. expugnata legitur, a manu seriore insertum esse necesse est. Ille enim Sultanus e Baharitarum familia, quae inde ab anno 1258. nostrae aerae Aegyptum et Syriam tenuit, anno demum 1293. imperium capessivit; vid. RASMUSSEN *Anna-*

deserta est, cujus incolae metu Francorum in montana migrarunt. Hodie locus desertus est, nisi quod domus ejus adhuc superstites sunt, itemque sacchari torcular, extra urbem ad plagam orientalem. Antarsus urbs est parva, ad mare apposita, fortibus muris cincta. Haud longe ab ea in mari exstat magna quaedam insula, in qua est magnum templum Christianorum[85]), altum, munitum, portas ferreas habens, ut instar castelli sit. Ab Antarso per meridionalem terrae continentis partem ad arcem el-Khevabi (hydriarum), in vertice montis collocatam, habes intervallum XV. milliarium[86]). Arx est inaccessa: ejus incolae sunt Assasini[87]), qui ab Islamo defecerunt, nec resurrectionem mortuorum, nec judicium post mortem credunt, et qui eam fidem profitentur irridentur. Antarsus est unus ex portubus terrae Chems. Ab urbe Chems ad Damascum sunt stationes quinque, totidemque stationes a Tripoli Syriae ad Damascum. Pag. 15

Iter, quod a Damasco ducit ad urbem Jathreb (Medina) est hujuscemodi. Egredieris Damasco ad diversorium quoddam parvi amnis ripae adjacens, indeque ad Dea, conficies-

---

les Islamismi, p. 36. Edrisius vero suum opus geographicum jam anno 1153. perfecit; vid. J. M. Hartmanni Comment. de Edrisio ejus Africae praemissa p. LVI.

85) Verba: *altum* usque ad: *sit*, in textu Arabico p. 15. lin. 1. a شاهقة usque ad كالمحرس ead. lin. sunt e Ms. inserta.

86) Quae jam sequuntur inde a verbis: *Arx est inaccessa*, usque ad verba: *ex portubus terrae Chems*, in textu Arabico p. 15. lin. 3. a وهذا الحصن usque ad من فرضة حمص lin. 5. sunt e Ms. recepta.

87) En *Assasinorum* nomen! quod apud Orientales scriptores se non reperisse, miratur Wilken *Geschichte der Kreuzzüge* P. II. p. 252. not. 21.

que stationem unam. Hinc ad Dhat-elmanazel (i. e. habens diversoria), pagum populosum, ac deinde ad Janu stationem alteram. Inde ad Bathaniam stationem item unam. Ab hac ad Damna pagum, stationem unam. Ab hoc ad urbem Tabuc[88]), tum ad Mochadatha (i. e. novam), tum ad el-Akraa (i. e. calvum), tum ad Chanifijah, tum ad Chadschar (i. e. lapidem), turrim fortissimam, inter montes exstructam, in regione Thamud, stationem unam. Hinc ad oppidum parvum ad parvum fluvium[89]), tum ad Rachaba (i. e. amplam aream), tum ad Dhi 'l-marvat (i. e. locum silicibus frequentem), tum ad el-Chadd (i. e. terminus), tum ad Sowaidam (i. e. subnigricantem), tum ad Dhi-chaschab (i. e. habentem ligna), denique ad urbem Jathreb. Via autem, qua itur Damasco ad Racca, est octodecim fere stationum.

Absolvam[90]) totius Syriae descriptionem recensione regionum et praefecturarum ejus: regio Palaestina[91]), cujus

88) Pro الى وادى, quod est in edit., recepimus e Ms. الى بلد صغير على نهر صغير.

89) Hanc urbem transire et eos, qui e Damasco sacrum iter Meccam instituunt, notat in illius itineris descriptione BURCKHARDT *Travels in Syria* p. 659. p. 1037. vers. teuton.

90) Quae jam sequuntur usque ad finem omnia desunt in edit. et sunt e Ms. recepta. Cum ea quae hic habetur Syriae divisione in *tractus*, اكوار, in plerisque convenit ea, quam refert IBN EL-VARDI p. 169. edit. Koehler., p. 80. ed. Hyland. Aliam in praefecturas divisionem habet ABULFEDA p. 7., ubi cf. Koehleri not.

91) Verba quae sequuntur Arabica, التى منها اطباق, in versione non expressi, ignorans quippe, quam significationem nomen اطباق hic obtineat.

est urbs sancta; tractus Gamras[92]), tractus Lydda, tractus Jabna[93]), tractus Jafa, tractus Caesarea, tractus Nablus cum Sebaste, tractus Ascalon, tractus Gaza, tractus Bait-Dschabrin. In parte ejus meridionali sunt nullae praefecturae, sed campus el-Tih[94]); haec est terra, quam Israelitae per quadraginta annos pererrarunt, quo toto temporis spatio nec urbem intrarunt, nec in domum se receperunt, nec ullus eorum suum sibi victum in olla sua paravit. Longitudo hujus deserti prope sex dierum itinere protenditur. Contiguum est Palaestinae a plaga orientali. Porro tractus Jordanicus, cujus maxima urbs est Tiberias. Ad illum pertinet et el-Ladschun, et regio Samaritana, id est, Nablus, tum Baisan, Jericho, Waara, Amscha, Chaswa, Charadil, et Munia. Tum tractus Accah, tractus Nasrah, tractus Sur; ei ad orientem contigua est terra Damascena, cujus est el-Ghutah, terra Baalbek, el-Bekaa, et terra Libanon; tractus Chula, Pag. 16 tractus Atrablos, tractus Dschebail, tractus Bairut, tractus Saida, tractus Bathania, tractus Chul, tractus Dscholan, tractus Dzahirat, tractus el-Belka, tractus Dschabrin el-Ghaur, et Cafr-tab, tractus Amman, tractus esch-Scherath,

---

92) Pro غمراس in Ibn-ol-Vardio est غمداس.

93) Pro يبنا, ut habet Ms. nec non Ibn-el Vardi, non dubitavi يبنا ponere, nomen urbis antiquissimae, olim Philisthaeorum, יַבְנֶה 2 Chron. XXVI, 6. Vid. Schultens *Ind. geogr.* s. v. *Jafna*, et cf. quae de urbe *Jabne* hodienum superstite narrat Volney *Voyage en Syrie* T. II. p. 214. ed. quatr., s. P. II. p. 251. vers. teuton.

94) Vid. quae de hoc deserto e Jakuto attulit Koehlerus in Addendis et Corrigendis (in Notis) Abulfedae Tabulae Syriae praemissis plagula o p. 1.

el-Bosrah, et el-Dschabiat. Hic terrae tractus ad orientem conterminus est deserto, ad austrum vero terrae Samara et terrae Aad. Tractus Damascenus confinis est terrae el-Awasem[95]) et terrae Kinnesrin. Urbs Damascus est polus et cardo omnium tractus ejus urbium. Ex ea ad Baalbec sunt duae stationes, ad Chems vero est quinque dierum iter. A Damasco ad Tiberiadem sunt quatuor stationes, ad Tripolin vero ad mare Graecum est quinque dierum iter; ad extrema el-Ghutah est diei iter; ibi confinis est deserto. A Damasco ad Bairut est bidui iter, ad Edsraat vero, id est, Bathania, est quatuor dierum iter, ad el-Chul bidui iter. Syriae longitudo incipit a Malatia et porrigitur ad Raphach. Via a Malatia ad Manbedsch est quatuor stationum, inde ad Chaleb est bidui iter, ad Chems quinque dierum iter. A Chems ad Damascum est quinque dierum iter, ad Tiberiadem quatuor dierum. A Tiberiade ad Ramla est trium dierum iter, a Ramla ad Raphach bidui iter. Hoc efficit spatium XXXV. stationum. Atque haec sunt quae continentur Parte quinta climatis tertii. Laus sit Deo!

---

95) I. e. „*defendentium locorum*, sive الثغور *portarum* et limitaneorum praesidiorum, sub quibus Ciliciae urbes *Adana* et *Tarsus*, quin et Cappadocum *Malatia* comprehenduntur.“ SCHULTENS in Ind. Geogr. s. v. *Syria*. Adde Koehleri not. ad ABULFEDAE *Syr.* p. 26. not. 112.

E LIBRO

KHALILI BEN-SCHAHIN, THAHERITAE,

QUI INSCRIBITUR

FLOS [1]) EXPOSITIONIS PROVINCIARUM

ET

DECLARATIONIS VIARUM ET TRACTUUM.

Sectio descriptionem Syriae continens. Nomen *Esch-Scham* significat *bonum* [2]). Alii dicunt, hanc regionem appellari *Scham*, quod Caabae ad sinistram (i. e. aquilonem) sita est, quemadmodum *El-Yemen* appellatur regio Caabae ad dextram (i. e. austrum) sita. Alii alia dicunt. Eo quod in Corano [3]) dicitur: *circa quem benediximus*, Es-Sohaili ait indicari Syriam. Quod in alio Corani loco [4]) dicitur:

1) Nomen زُبْدَة denotat *spumam lactis* ejusdemque *florem*, hinc, ut Latinorum *flos*, optimam praestantissimamque rei alicujus partem. In hac vero inscriptione significat *selecta* ex opere majori *Expositio provinciarum* rel. inscripto. Vid. DE SACY *Chrestom. Ar.* P. II. p. 301.

2) Imo *infaustum* شام notare constat. Veram appellationis rationem auctor statim subjungit. Alia etyma dabit ABULFEDA *Syr.* p. 5.

3) Sur. XVII, 1.

4) XXIII, 52.

recepimus utrumque in locum sublimem, habentem quietem, et fontem aquae purae, asserunt significare Damascum. Veteres diviserunt Palaestinam in quinque partes[5]). Earum *prima* est *Palaestina*, cujus fines incipiunt a via qua Aegyptum itur, Raphacha, id est, el-Arisch, hinc ad Gazam, et inde ad Ramla procedunt. Palaestinae urbes sunt Aelia, id est, domus Sanctuarii (Hierosolyma), Ascalon, Ramla, Nablusa, et Chebron urbs celebris amico Dei[6]), cui sit pia memoria et pax! Palaestinae longitudo a Raphacha
Pag. 18 ad Ladschun est quatuor dierum iter; ejus latitudo est a Jafa ad Hierichuntem. Provincia *secunda* est *Chauran*. Urbs ejus maxima est Tiberias; aliae ejusdem urbes sunt Jarmuk et Baisan. *Tertia* est *el-Ghutah*, cujus urbs maxima est Damascus. Illius est et Tripolis, quam nonnulli terrae sanctae[7]) accensent, Safad et Baalbek. Haec loca sunt quidquid haec provincia continet urbium. *Quarta* provincia est *Chems*. Eam urbem nec serpens nec scorpio intrat[8]). In eam quingenti e sociis legati Dei[9]), cui sit fausta apprecatio et salus! habitatum venisse dicuntur. Ex illius

---

5) Eandem Syriae in quinque partes, خمس شامات, divisionem refert Ibn-el-Vardi p. 176. ed. Kochl., p. 84. ed. Hyland. Cf. quae notavit Kochlerus ad Abulfedae Tab. Syr. p. 7. not. 22.

6) Ibi commoratus est Abrahamus, Orientalibus *amicus Dei* appellatus, sub terebinthis Mamres, Genes. XIII, 18.; ibique ejus sepulchrum, XXIII, 19. Cf. Abulfedae *Syr.* p. 87.

7) *Terra sancta* appellatur Palaestins in Corano V, 24.

8) Vid. supra p. 29.

9) De Mohammedis sociis vid. Abulfedae *Annall.* T. I. p. 196.

praefecturis est urbs Salamia, in qua est monimentum [10]) Alii, Ben Abi Taleb, cui Deus sit propitius [11]). *Quinta* provincia est *Kinnesrin.* Ejus urbs maxima est Chaleb; ejusdem provinciae urbes sunt Chamath, Sermain, et Antiochia, quae dicitur esse urbs Hhabibi An-Nadschari [12]) (i. e. fabri lignarii).

Eparchia [13]) *Gazensis*, a Gaza urbe denominata, quae est urbs pulchra in solo plano sita, abundat fragibus. Sunt in illa templum, collegia, et pulchra aedificia, quae admirationem movent, *aula regia* appellata. Est haec eparchia ampla, comprehenditque plures praefecturas et oppida. Ramla urbs non est eparchia, sed provincia, quae multa oppida continet. Urbs illa est pulchra, suntque in ea templa, collegia, et monimenta sanctorum. Inter illa Templum al-

---

10) Nomen مَزَار proprie *locum visitationis* denotat, sed usurpatur speciatim de iis locis, quibus viri sanctitate celebres et martyres sepulti sunt, quae adire solent pii Moslemi et sacra celebrare in memoriam illorum virorum sanctorum. Nobis nomen illud saepius apud Nostrum recurrens, brevitatis causa *monimentum* reddere visum est.

11) Sed hunc Chalifam constat in vicinia urbis Cufa sepultum esse, eo loco quo hodie urbs *Mesched-Ali*, مشهد علي, i. e. martyrium Alii exstat. Vid. Niebuhrii *Reisebeschreib.* P. II. p. 254. Cf. Abulfedae *Descript. Iracae* latine reddit. a Reiskio *in dem Magazin für die neue Historie u. Geographie* P. IV. p. 257.

12) Hujus sancti martyrium hic esse, dicit Jacutus in Lexico Geographico, apud Schultensium in Ind. Geogr. ad Vitam Saladini s. v. *Antiochia.* Sacrum illius martyris tumulum visitasse Saladinum narrat Bohaeddinus p. 86.

13) Recensita vetere Syriae divisione, auctor nunc agit de singulis provinciis, in quas sua aetate hic terrae tractus divisus erat.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-38500/fragment/page=00000049

bum est maxime admirandum. In subterranea ejus crypta dicuntur quadraginta sociorum (prophetae) sepulchra esse. Sunt in ea provincia et alia plura loca sancta, quae commemorare longum foret, ut sepulchra fratrum Josephi, cui sit pax! Tum sepulchrum Abi Horeirae[14]), et sepulchrum Salmani Persae; atque Sanctuarium nobile (Hierosolyma), et oppidum amici (Dei, i. e. Chebron), quorum descriptionem supra suis locis dedimus[15]).

Eparchia *Carchensis* Syriae non accensetur, sed est eparchia separata, quae et Mâb[16]) vocatur. Urbs Carc[17]) est munita, una ex arcibus inaccessis Islami. Castellum habet, cui non est simile in terris nec Islami nec infidelium. Appellatur castellum el - Gorab (i. e. corvorum). Numquam fuerat vi expugnatum, sed eo sese potitus est Salahh - ed - din, Joseph Ben Ijob, cui propitius sit Deus! postquam urbem sanctam expugnasset, anno DLXXXIII. Erat in potestate principis Arnaldi[18]), qui ad sacram aedem (Meccanam) iter facientes aggressus est. Quod hic pluribus enarrare longum foret. At paucis absolvam: Saladinus

---

14) Unius ex sociis Prophetae, vid. ABULFEDAE *Annall.* T. I. p. 375.

15) Hanc descriptionem auctor in opere majori videtur dedisse; in hac sui operis epitome omissa est.

16) מוּאָב. Cf. ABULFEDAE *Syr.* p. 89. et SCHULTENSII Indic.

17) Apud BURCKHARDTUM *Travels in Syr.* p. 377. s. p. 641. vers. teut. seqq. *Kerek.*

18) I. e. Raynald de Chatillon. Vid. WILKEN *Geschichte der Kreuzzüge* P. III. p. 264. et 288. et cf. *Vit. Saladini* a Schultens. edit. p. 70. et ABULFEDAE *Annall.* T. IV. p. 76.

suo cum exercitu, alacri, pro more, animo descendit in pugnam cum infidelibus apud Hhittinum, ubi Deus suos amicos adjuvit, hostes vero ope destituit, et religionem Pag. 19
suam superiorem reddidit, illumque omnium regum infidelium compotem fecit. Inter illos erat princeps Arnaldus, dominus castelli Carc, cujus se Sultanus post pugnam illam potitus est. Schaubec vero per aliquod adhuc tempus in potestate infidelium mansit, usque ad illuo tempus, quo Deus illius expugnationem decrevit, casu quodam mirando. Occasionem praebuit Arnaldi mater, quae, ut filius in hanc arcem se recipiendo saluti suae consuleret, eam aperuit. Fuerat vero Arnaldus jam occisus [19]). Schaubec, quod ad Carc pertinet, item est munitum [20]). Iter per praefecturam Carcensem ab el-Aale ad Zizeh viginti dierum spatio, incessu cameli, conficitur. Est regio salubri gaudens aëre [21]), oppidisque et pagis referta, atque constat pluribus praefecturis. Via ad eam est difficilis per loca praerupta, paucis aquis rigata, ut singulus quis in aliqua faucium illius constitutus equitem transitu prohibere possit. Plura sunt in hac provincia memoratu digna, quae, ne longa enarratione lectoribus taedium creem, strictim attingo. E monumentis sanctorum et locis veneratione dignis in hac pro-

---

19) Statim post pugnam apud Hhittinum, vid. quos modo laudavimus.

20) Cf. Abulfedae *Syr.* p. 88. Schultensii Ind. s. v. *Sjaubechum.* Burckhardt *Travels in Syr.* p. 416. s. p. 696. vers. teut. appellat *Schobak*, dicitque, vocari et *Kerek el-Schobak* كرك الشوبق (cum ق in fine); putatque esse veterum *Carcariam* apud Eusebium *de locis S. Script.*

21) Pro عدية, uti in apographo est, videtur عذية legendum.

vincia est oratorium Davidis (cui sit pax!) memoriae dicatum; locus Dschafari at-Tajjari, locus maxime venerandus; porro sepulchra Zeidi, Hharethae filii, Abdallae, Rawahhae filii, et Zeidi, Arkami filii, tum locus quem Imam Ali visitasse dicitur, isque est Hhareth Noomani filius, adde sepulchra Zeidi Chattabi filii, et Abdallae, Sahli filii, et omnes sunt e sociis prophetae, qui in pugna martyrii morte occubuerunt. Est quoque hic specus, e quo omni tempore lumen apparet, et oratorium Josuae filii Nun, cui sit pax! et sepulchrum Alexandri, ignoramus vero, cujusnam Alexandri; porro sepulchrum Abdallae el-Mobareki filii, atque alia oratoria.

Eparchia *Safadensis* est ampla; dicitur mille et ducentos pagos comprehendere habetque plures praefecturas. Urbium illius maxima est Safad. Est ea in tres partes divisa[22]), habetque templa, collegia, monumenta sanctorum, loca pulchra, balnea et fora. Est in ea castellum bene munitum, cui non decem castella similia inveniuntur. Pauco abhinc tempore est expugnatum. Urbs Accah[23]) bene fuit munita; cum vero eam expugnavit Saladinus Ejubida, ejus moenia diruit; nunc est portus eparchiae Safadensis. Postquam urbem destruxisset Saladinus[24]), res omnes alicujus pretii abstulit una cum

---

22) Abulfeda *Tab. Syr.* p. 83. dicit: وربضها ينتشر عمارته على ثلثة أجبل *et suburbium ejus super tres montes extenditur.*

23) Hebraeis עכּו, Abulfedae *Tab. Syr.* p. 81. عكّا, Graecis *Ptolemais*, hodie *St. Jean d'Acre.* Cf. libr. nostr. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 60. seqq.

24) Falsus hic est Noster. Saladinus tantum aberat, ut Ptolemaidem destrueret, ut potius, postquam eam anno DLXXXIII. aerae Mohamme-

clave urbis, quam equus portavit, ad carcerem arcis Carch, ubi illa etiamnum est; maxime admiranda, si quid aliud. Hujus eparchiae est et urbs Tyrus, nunc diruta, et urbs Ma- Pag. 20
schuca, quae nunc ita est vastata, ut pagi instar sit. Sunt in eparchia Safadensi pagi magni urbibus similes, ut Mina, Nasra (Nazareth), Maarac, et iis similia. Ad eandem eparchiam pertinere dicuntur esch-Schakif [25]) et Cabul [26]), et septem arces aliae, quae nunc dirutae jacent. Sunt in iis monumenta sanctorum et loca veneratione digna.

Eparchia *Damascena* est admodum amplo multos continens tractus, urbes et arces. Urbium ejus maxima, ut jam diximus, est Damascus, urbs pulcherrima, et sedes imperii, cujus velum non est retectum [27]), nisi quod hoc tempore non residet in ea princeps. Multis gaudet commodis et bonis quibus aliis urbibus antecellit. Pulchra in ea sunt templa, collegia, loca sancta, viae, fora, balnea, horti, canales,

---

danae (MCLXXXVII. Christ.) post proelium Hittinense Christianis eripuisset, muniret eique praesidia imponeret; vid. *Vit. Saladini* p. 89. Diruta est Ptolemais demum anno DCXC. a. M. (MCCXCI. a. C.), postquam illam expugnasset Malec-el-Aschraf, Sultanus Aegypti et Syriae, e dynastia Baharitarum; vid. ABULFEDAE *Annall.* T. V. p. 94. 98.

25) Vid. SCHULTENS *Ind. Geograph.* s. v. *Sjakyfam*, arx validissima in vicinia Paneadis.

26) Cf. כָּבוּל, oppidum tribui Ascher assignatum, Jos. XIX, 27., et nomen tractus Galilaeae, viginti continens urbes, quas Hiramus a Salomone accepit, 1 Reg. IX, 13.

27) I. e. sarta tecta est servata, nulla insigni clade affecta; vid. de hac phrasi A. SCHULTENS *de Defectt. hodiern. ling. Hebr.* p. 427. edit. Lugd. 1761.

et aedificia, quarum praestantiam nulla descriptio exprimere potest. Dicit quidam interpretum Corani, *Eramaeis habentibus columnas, quibus non creatum simile fuerit in regionibus*[28]), intelligi Damascum. Est in ea urbe nosocomium[29]), cui simile in toto orbe terrarum non exstat. In eo accidit lepidum[30]) quiddam, cujus commemoratio mihi delectationi est. Damascum videlicet cum adirem anno DCCCXXXI. (aer. Christ. MCDXXVII.) inter socios meos erat Persa quidam vir honestus, elegans et facetus, qui eo anno peregrinationem sacram omnesque ejus ritus secundum quatuor sectarum[31]) instituta perfecerat. Is quum ingressus nosocomium, cujus mentionem fecimus, conspexisset cibos, commoda et egregia in eo instituta, quae omnia et singula enarrari non possunt; elegit sibi illud locum, quo commoraretur. Aegrotum se simulat, et tres illic dies manet. Visitat eum protomedicus, ut de morbo certior fieret, et postquam pulsum explorasset, qualisque ejus valetudo esset cognovisset, praescripsit ei quae ejus statui convenirent, cibos puta delicatos, ova butyro condita, edulia ex melle et saccharo confecta, dulces potus, et varii generis fructus.

---

28) Sura LXXXIX, 7. 8.

29) De voce نُكْتَة vid. quae disseruit Habicht, V. C., in Praefat. ad *Noctes* MI. Arabice a se editas T. I. p. XIII.

30) Vocem بيمارستان illustratam vide ab Hamakero in *Specim. Catalogi codd. Mss. OO. Bibl. Lugd.* p. 14. not. 44.

31) De quatuor sectis orthodoxis Mohammedanorum vid. Pocockii *Spec. Hist. Arab.* p. 25. 287. et 293. edit. sec. Adde Muradgea d'Ohsson *Descript. Imp. Turc.* P. I. p. 26. vers. teut.

Elapsis vero tribus diebus scripsit ei schedam, qua significaret, hospiti non licere ultra tres dies eo in loco commorari. Quod profecto admodum salsum et festivum erat. In nosocomio illo ignis inde a quo tempore aedificatum fuit, nullo tempore exstinctus fertur. Templum Ommeidarum est unum ex tribus mundi miraculis. Illa enim, ut in Annalibus nonnullis legi, sunt Pharus Alexandrina, templum Ommeidarum, et balnea Tiberiadis. Hippodromus viridis, et quae in eo exstant pulchra palatia maxime sunt admiranda. Qui omnia quae haec urbs rara et eximia continet describere susciperet, conatu excideret [32]). Ex ejus Pag. 21
locis sanctis et monumentis sanctorum est oratorium Hhosaini cui Deus sit propitius! oratorium el-Khedhri (i. e. Eliae) cui sit pax! sepulchrum Mohammedis, filii Abdallae, el-Hhoseini, filii Achmedis, filii Dschafaris, veracis, porro pera el-Khedhri, et Corani codex [33]) Othmano, cui Deus sit propitius! probatus [34]). Est quoque Damasci turris illa,

---

32) Quae jam sequuntur p. 21. lin. 1. textus Arabici, ab الجبهة usque ad العنابة, lin. 3., nomina haud dubie locorum et aedificiorum Damasci, nobis obscura esse necesse est, quum illorum situm et conditionem ignoremus. Nolui igitur lectori in versione voces sensu expertes obtrudere, veluti *frons, amans et amatus, inter utrumque fluvium, infra domum ligneam*, rel. De uno ربوة *Robwa* constat ex Abulfeda *Tab. Syr.* p. 101., esse illud e locis amoenis Damasci, specum ad introitum vallis ejus occidentalis, ubi aquae sese dividunt.

33) De المصحف κατ' ἐξοχήν Coranum significante vid. Reiskii not. ad *Abulfedae Annall.* T. I. p. 270. not. *i.*

34) Intelligitur illud Corani exemplar, quod Abi-Becri tempore exaratum, et apud Hafsam, prophetae uxorem, depositum erat, cujus textum,

in qua Imamus el-Gazali [35]) stetit, et super quam Jesus, Mariae filius, cui sit pax! descendisse fertur, nec non sepulchrum Nureddini Machmud Zenki filii [36]), et sepulchrum Salahheddini Josephi, Jobi filii [37]), tum sepulchrum Beladhi, Hhamamathae filii, sepulchrum trium ex prophetae uxoribus, quibus Deus faveat! sepulchrum Abi 'l-Dardae ejusque matris, sepulchrum Fodhaleth, filii Obeidi, sepulchrum Sahli, el-Hhatlatae filii, sepulchrum Hhawatelatae, filii el-Asfae, sepulchrum Ausi, Thakefitae, sepulchrum el-Hhassani, Hhamzae filii, sepulchrum Alii, Abdollae filii, filii el-Abbasi una cum fratris sui sepulchro, sepulchrum Khadidschae, filiae Zain-el-ajidini, sepulchrum Alexandri filii el-Hhassani. Damasci fertur et Habelis sepulchrum esse. Est ibidem et spelunca famis, in qua quadraginta cellas esse dicunt; suntque ibi aliae speluncae centum triginta sex. Urbem perfluunt septem fluvii, qui juncti instar Nili essent. Longum foret, de fructibus recentibus, herbis fragrantibus

---

Othmanus Chalifa in omnibus Corani codicibus retineri jussit, ceteris omnibus codicibus, qui tum exstabant, combussis. Vid. ABULFEDAE *Annall.* T. I. p. 264.

35) Celeberrimi Mohammedanorum theologi, de quo vid. HERBELOT *Biblioth. Orient.* s. v. *Gazali*, et ABULFEDAE *Annall.* T. III. p. 374.

36) Aegypti et Syriae domini, inde ab a. 1149 aerae Christ. vid. ABULFEDAE *Annall.* T. III. p. 501. seqq. et HERBELOT s. v. *Nureddin.*

37) Item Aegypti et Syriae domini, inde ab anno 1171 nostrae aerae, celeberrimi et inter nos principis, per scriptores de expeditionibus cruciatis, vulgo *Saladinus.* Vitam ejus a *Bohaeddino* descriptam edidit Arabice et Latine A. SCHULTENS, Lugd. Batav. 1732. Vid. et HERBELOT s. v. *Salaheddin*, et ABULFEDAE *Annall.* T. III. p. 621.

et varia supellectile, quae in haec urbe exstant, referre. Nix ad eam e montibus aestate et hyeme nullo temporis puncto intermisso defertur, bibuntque illam omnes urbis incolae, deferturque de illa ad principem quoque atque ad proceres regni nobiles. Ex eparchiae Damascenae praefecturis est Ramla, uti supra diximus, item urbs Baisan [38]). Salt urbs est elegans cum arce, estque ei suae ditionis ager [39]). Damascena est praefectura. Chesban [40]) urbs arcem dirutam habet. Ad eparchiae Damascenae provincias pertinet el-Belka [41]). Continet plus quam tercentos pagos in regione plana, est quoque una ex praefecturis Damascenis. Sarchad [42]) urbs est mirabilis ob difficilem aditum, habet arcem munitam. Est urbs elegans; seritur in ejus agro oryza, quae ad Damascum aliaque loca devehitur. Habet Pag. 22 suae ditionis agrum, cujus pars Chaula nomine insignitur.

---

38) Vid. supra p. 3. not. 8.

39) Plura de hoc oppido refert ABULFEDA *Tab. Syr.* p. 92. Invisit illud et descripsit BURCKHARDT *Travels in Syria* p. 349., s. p. 601. seqq. vers. teuton.

40) Hebraeis חֶשְׁבּוֹן, Emoraeorum quondam sedes regia, Num. XXI, 26. seqq. Ejus ruinas vidit BURCKHARDT, vid. l. l. 365., s. p. 623. vers. teuton. Cf. libr. nostr. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 266.

41) Vid. de hac regione BURCKHARDT l. l. p. 368., s. p. 628. vers. teuton. Cf. libr. nostr. in nota super. memorat. Vol. II. P. I. p. 129.

42) Dicitur haec urbs et صلخت, vid. ABILFEDAE *Tab. Syr.* p. 105., A. SCHULTENS *Ind. Geograph. ad Vit. Salad.* s. v. *Sarchadum*, et BURCKHARDT p. 101. sqq. s. p. 180. 507. vers. teuton. Hebraeis dicebatur סַלְכָה Deut. III, 10. Jos. XII, 6. Cf. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 284.

Continet plus quam ducentos pagos. Est et haec praefecturarum Damascenarum una. Hhauran[43]) in plures provincias divisa dicitur. Vulgaris est fama, comprehendere eam plus quam mille pagos. Praeter urbem el-Ladscha[44]) sunt in ea oppida plura minora dispersa. Est et haec praefecturarum Damascenarum una. Tractus el-Ghutah, qui itidem est Damascena praefectura, plus quam tercentos pagos continere fertur, et plura oppida minora atque pagos oppidis similes. Tractus Naran, qui et ipse est Damascena praefectura, admirabilis est ob multa salebrosa loca. Continet plura oppida, et uti fertur, plus quam sexaginta supra centum pagos. As-Sabdani accedit ad urbis magnitudinem, estque ei tractus plus quam quinquaginta pagorum, suntque in eo multi rivi. Haec quoque Damascena est praefectura, uti Carcanudsch, quae pulchra est urbs. Ex Damascenis praefecturis est et Wadi et-Taim, cujus tractus, qui a torrente Taim est denominatus, sexaginta supra tercentos pagos continet[45]). Sowaidia[46]), urbs olim magna, sed quae

43) Hebraeis חַוְרָן, Ezech. XLVII, 16. 18., Graecis *Αὐρανῖτις*, Cf. A. Schultens *Ind. Geogr.* s. v. *Hauran*, Abulfedae Syr. p. 106. Plura memoratu digna de hac regione retulit Burckhardt p. 285. 291. seqq. s. p. 446. vers. teut. Vid. et *Handbuch d. bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 8.

44) Hodie ita vocatur tractus regionis Hauran, vid. Burckhardt p. 59. 64. 112. seqq. s. p. 121. 126. 195. seqq. vers. teut.

45) Urbis التيم *et-Teijm*, forsan antiquae *Kirjathaim*, ruinas haud longe a Medeba occidentem versus, invisit Burckhardt l. l. p. 367. s. p. 626. vers. teuton. Cf. *Handbuch d. bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 268.

46) Videtur eadem urbs esse, quae in Lexico Geographico, referente Schultensio in Ind. ad Vit. Salad. s. v. *Sowaidaa*, سُوَيْدَاء dicitur,

nunc ruinâ collapsa est; ejus tractus plus quam ducentos pagos continet. Est et haec Damascena praefectura. Baalbek est urbs pulchra. Sunt in ea columnae, quae Salomonis, cui sit pax! jussu exstructae dicuntur. Continentur hac urbe templa majora, scholae, loca sua sanctitate veneranda, fora, thermae, horti, fluvii, et alia, quae enarrare longum foret. Ager urbis est pulcher, continetque tercentos et sexaginta pagos. Et haec est praefeetura Damascena. Hhems est urbs pulchra; habet murum et arcem. Jacet, uti fertur, in ea urbs supra aliam, quod sane admirandum quod. Est in ea sepulchrum Chaledi, el-Validi filii[47]), cui Deus propitius sit! Tractus Bosrae, item praefectura Damascena, comprehendit multos pagos. Saida (Sidon), portus Damasci, est urbs egregia, ad litus Oceani, ad eam naves appellant. Ager urbis, item praefectura Damascena, continet plus quam ducentos pagos. Portus est et Bairut, praefectura Damascena, cujus ager multos pagos continet.

Eparchia *Tripolitana* est praestans. Urbs ejus maxima Pag. 23
est Tripolis; est pulchra habetque templa, scholas, balnea, et pulchra aedificia. Sita est in litore Oceani. Sehjun[48])

قرية من قرى حوران من عمل دمشق *vicus Hauranitidis, ex praefecturis Damascenis.* Addit, aliam ejusdem nominis urbem sitam esse in Mesopotamia, Carris vicinam.

47) Vid. de hoc viro, ex eorum munero, qui vivo Mohammeds ejus doctrinam amplexi sunt, ABULFEDAE *Annall.* T. I. p. 143. et Reiskii Annotatt. historr. p. 54. nec non HERBELOT *Bibl. Orient.* s. v. *Khaled Ben Valid.*

48) Vid. A. SCHULTENS *Ind. Geogr.* s. v. *Sehjun*, et ABULFEDAE *Tab. Syr.* p. 122.

est urbs egregia, cum arce bene munita. Habet agrum suum seorsum cum multis pagis; estque praefectura Tripolitana. Arx el-Merkab [49]) est bene munita, estque ei praefectura multis cum pagis. Praefecturis Tripolitanis accensetur. Arx el-Acrad [50]) est aditu difficilis, eique est praefectura multis cum pagis; item praefectura Tripolitana. Kadmus est arx munita, estque ei praefectura cum nonnullis pagis. Et haec est praefectura Tripolitana. Ladikia [51]) (Laodicea) est urbs satis ampla, sed ruina collapsa, Oceano propinqua; estque ei praefectura, in qua multi sunt pagi; praefectura Tripolitana. Dschiblah est urbs elegans; estque in ea sepulchrum Ibrahimi, Adhami filii [52]). Est ei praefectura, quae ad Tripolitanas praefecturas pertinet. Arca [53]) est Tripolitanae eparchiae [54]), habetque portum. Acca [55]) castellum bene munitum, item Tripolitanae eparchiae, sed

---

49) Cf. Abulfedae *Tab. Syr.* p. 106. et ibid. Koehleri not. 144.

50) Cf. Abulfedam l. l. p. 102. Golium ad *Alfergan.* p. 284. et A. Schultens *Indic.* s. v. *Curdorum castrum.*

51) Vid. Abulfedam l. l. p. 112.

52) Vid. de hoc viro Abulfedae *Annall.* T. II. p. 42. et Reiskii not. 44., et cf. Herbelot *Bibl. Or.* s. v. *Adhem.* Ceterum de urbe Dschiblah vid. Abulfedae *Tab. Syr.* p. 109. et Schultens *Indic.* s. v. *Sjibla.*

53) Vid. Abulfedae *Tab. Syr.* p. 11. Cf. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 10.

54) وهى من توابع طرابلس ad verbum: *estque ex annexis Tripolis.* De توابع vid. Meninskii *Lexic.* s. v.

55) Vid. Abulfedam l. l. p. 81. et *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. II. p. 60.

praefecturam habens uullam. El-Cahf[56]) est locus validus, eparchiae Tripolitanae, quod ipsum de Rawaka valet. Tripolitana eparchia una cum iis quae ei annexa sunt, fere tres mille pagos comprehendere dicitur.

Eparchia *Hhamatensis* est ampla, continetque urbes, arces et pagos. Urbs ejus maxima est *Hhamath*[57]), admodum pulchra; muro firmo cum pluribus turribus cincta, habetque arcem, quam Timurlenc vastavit. Ambit eam el-Aasi fluvius[58]) in quo multae machinae aquariae. Sunt in hac urbe plura vitae oblectamina, et continentur eâ templa, scholae, oratoria, loca et Sanctorum monumenta, quae visitari solent, quae longum est recensere. Salamia est Hhamatensis eparchiae praefectura, multos continens pagos. Sunt in hac urbe septem illa palatia excelsa[59]), sub quibus sepulchra sectatorum prophetae[60]) esse dicuntur. Est quoque in ea urbe sepulchrum Noomani Baschiri filii[61]), socii

56) كَهْف *Speluncam* denotare constat. Estne forsan inexpugnabilis illa spelunca, in territorio Sidoniensi sita, de qua loquitur Guilielmus Tyrius in *Hist. Hierosol.* L. XIX. Cap. 2., Hebraeis מְעָרָה Jos. XIII, 42.? vid. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 39.

57) Vid. de hac urbe Abulfedae *Tab. Syr.* p. 108., et cf. Schultens Index ad Vit. Salad. s. v. *Hamata*, atque *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 248.

58) Graecis *Orontes*, vid. *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. I. P. II. p. 248.

59) Nomen محاريب Djelaleddin ad Corani Sur. XXXIV, 13. apud Marraccium explicat ابنية مرتفعة يصعد اليها بدرج *aedificia sublimia, ad quae per gradus ascenditur.*

60) التابعون *Sectatores* vocantur κατ' ἐξοχήν illi, qui vivo quidem Mohammede ejus doctrinam amplexi sunt, sed eum nec coram viderunt, nec cum eo sunt versati. Vid. *la Vie de Mahomet par* Gagnier T. II. p. 340.

61) Vid. de hoc viro Abulfedae *Annall.* T. I. p. 77. 385. 393. 405. 407. et Adnotatt. historr. p. 89.

prophetae, cui Deus sit propitius! Erat is largus, beneficus, liberalis. Ejus munificentiae specimen est illud, quod
Pag. 24 quum Hamadensis quidam, ex divite pauper factus eum adiret, ipse, cognito suo statu, suggestum ascendit, et ad coetum haec verba fecit: „vir quidam, qui domos possedit nunc est ad paupertatem redactus; adjuvet eum vestrum quisque; nos singuli ei aliquid demus; quisque aureum donet; equidem ei pecuniae summam quandam e fisco statim numerabo, quam mihi restituetis.“ Tum, computatione facta, dedit ei e fisco decem mille aureos. Ille hosce Versus fudit*):

Haud vidi ad necessitates sublevandas rogatum parem Noomano,
Noomano, inquam, munifico, Baschiri filio,
Cum promissis stetit; nec erat instar hominum mendacium, inani spe lactantium**).

---

*) Versum horum metrum est طويل *longum*, et ea quidem illius species, quae pedem octavum habet Bacchium, et pedem septimum plerumque Amphibrachyn, aut Bacchium quoque. Ejus specimen Clericus in *Prosod. Arab.* p. 30. dedit hoc:

أَقِيمُوا بَنِي ٱلنُّعْمَانِ عَنَّا صُدُورَكُمْ
وَإِلَّا تُقِيمُوا صَاغِرِينَ ٱلرُّؤُسَا

Pedes ita metiri docet:

أَقِيمُوا بَنِيْنُعْمَا نِعَنْنَا صُدُورَكُمْ
فعولن مفاعيلن فعولن مفاعلن
وَإِلَّا تُقِيمُوصَا غِرِينْ رُؤُسَا
فعولن مفاعيلن فعولن فعولن

Plura de hoc metro ejusque variationibus disseruimus ad *Zohairi Moallacah* a nobis edit. p. XVII. seqq.

**) Pro حبل, ut in cod. est videtur خَيْلَى *mendacium*, *vana arrogantia*, ponendum, metro ita flagitante. Ante illud vero كاقوام mente repetendum.

Bibliothek der Deutschen Morgenländischen Gesellschaft

Nisi frater Adjutorum [62]) exstitisset, equidem forem tanquam iter faciens, quem nullum excipit hospitium, inops exagitatus*). Quodsi bene factorem non agnoscerem Noomanum, essem ingratus, ingrato vero nil inest boni.

Fadaria est arx difficilis aditu, eique est praefectura, Hhamatensis eparchiae, multos pagos continens. Maarra urbs [63]) cui nomen *palatiis instructae* inditum, est etiamnum elegans, habetque praefecturam Hhamatensis eparchiae cum multis pagis. In ea est sepulchrum Mohammedis, filii Abdallae, unius ex sociis prophetae et monasterium Omari, Abd - ol - Azizi filii [64]) quibus Deus propitius sit! Masiata est urbs decora, et praefectura Hhamatensis eparchiae [65]).

Eparchia *Hhalebensis* est admodum ampla, complectiturque multas urbes, arces, praefecturas et pagos. Illius urbs maxima est Hhaleb, salubri gaudens aëre. Instructa est muro firmo arceque munita. Sunt in hac urbe templa,

---

62) *Adjutores* scil. prophetae, vocantur Medinenses illi, qui Mohammedem Meccâ profugum receperunt et juvarunt. Eorum *frater* Noomanus dici videtur ideo, quod ipse primus infans fuisset, qui post prophetae adventum Adjutoribus s. Ansariis illis natus esset. Vid. Abulfedae *Annall.* T. I. p. 76.

*) Hemistichium posterius ita videtur legendum:

ثوى ما يُثَوّى يَنْقَلِبْ بِنَقِيرٍ

Futurum apocopatum metri causa ex licentia poetica positum.

63) Vid. Abulfedae *Tab. Syr.* p. 111. et Schultensii *Ind. Geogr.* s. v. *Maarrah.*

64) Intelligit monasterium illud, in quo Omarus, Chalifa post Mohammedem secundus, et mortuus, et sepultus est; vid. Abulfedae *Annall.* T. I. p. 440.

65) Vid. Abulfedae *Tab. Syr.* p. 20. et Schultensii *Ind. geograph.* s. v. *Masjata.* Sed in Abulfeda Koehlerus male edidit مصياف *Masjaf* pro مصيات, uti recte edidit Schultens l. l., ubi Abulfedae locum excerpsit. Quae scriptura nostro auctore confirmatur.

scholae, oratoria, Sanctorum quae visitari solent monumenta, pulchra aedificia, fora et balnea, quae omnia describere longum foret. Est ea sedes regia. Antakia (Antiochia) est urbs satis magna, estque in ea sepulchrum
Pag. 25 Hhabibi an-Nadschari. In ejus agro multi sunt pagi, estque Hhalebensis praefecturae. Dschabar[66]) est urbs egregia, cui est arx munita et ager, in quo multi sunt pagi. Est et haec eparchiae Hhalebensis praefectura. Rahhaba[67]) est urbs elegans cum arce et agro, qui multos pagos continet, item Hhalebensis eparchiae praefectura. Saidschar[68]) est urbs decora, in qua arx munita; habet agrum cum multis pagis, estque eparchiae Hhalebensis praefectura. Sarmin[69]) est urbs pulchra cum arce munita et agro, qui multos pagos continet; item eparchiae Hhalebensis praefectura. Tractus el-Bab[70]) et el-Berrah, item praefectura Halebensis, est amplus, suntque in eo multi pagi. Tractus Calis[71]) et Azaz et ipse est amplus, et praefectura Hhalebensis. Sitae sunt in

---

66) Plura de hac urbe vid. apud SCHULTENSIUM l. l. s. v. *Sjabarum.* ABULFEDA illam tractui *Diarbecr* accenset in *Tabula Mesopotam.* a nobis Arabice edita in *Repertorio Literat. bibl. et Orient.* ab H. E. G. PAULO ed. T. III. p. XIV.

67) Et hanc urbem Abulfeda inter Mesopotamiae urbes recenset, vid. l. l. p. XXI. et cf. SCHULTENS *Indic.* s. v. *Rahaba.*

68) Videtur eadem urbs esse quam IVES in descriptione itineris a Bir urbe ad Hhalebum facti *Sajuera* vocat in *Itinerar.* P. II. p. 247. vers. teuton. Cf. BÜSCHING's *Erdbeschreib. von Asien* p. 301. edit. tert.

69) Vid. SCHULTENS *Ind.* s. v. *Sarmania*, et ABULFEDAE *Tab. Syr.* p. 115.

70) Vicum magnum esse ad montis cujusdam pedes ait Balbi, BÜSCHINGIO memoratus *Erdbeschreib.* l. l. p. 305.

71) Apud NIEBUHRIUM *Reisebeschreib.* T. II. p. 414. كلس *Klis.* Urbem sat populosam esse ait.

eo duae illae urbes, quae vero nunc pagi vocantur. El-Amk[72]) nulli praefecturae accensetur, sed est tractus amplus, in quo pagi nonnulli sunt. Dschadidat, eparchiae Hhalebensis praefectura, multos continet pagos; incolis praevaluerunt Arabes. Urbs Dschadidat est pulchra; habet arcem, et agrum, in quo multi sunt pagi. Ajas urbs[73]) est decora; habet arcem dirutam; sed eam instauratam esse dicunt. Habet agrum cum pagis; estque praefectura Hhalebensis. Sis[74]) urbs est egregia cum arce munita, estque ei ager cum multis pagis, in quibus Christiani praevaluerunt. Est eparchiae Hhalebensis. Tumuc est urbs bene munita muro cum arce egregia; estque ei praefectura multos continens pagos haud longe a mari sitos. Est et ipsa Hhalebensis eparchiae. Sin[75]) urbs est decora cum agro, qui pagos nonnullos habet, Hhalebensis eparchiae. Adana[76]) urbs est egregia, item Hhalebensis eparchiae, cum agro in quo sunt pagi. Tractus Ramadhanensis[77]) et Aurariensis, item Hhalebensis eparchiae, est amplus, suntque in eo urbes. Caesarea[78]) urbs est egregia, muro cincta; habet arcem agrumque cum

---

72) Vid. SCHULTENS *Ind.* s. v. *Alamk.*

73) De ea urbe habet plura ABULFEDAE *Tab. Syr.* p. 132.

